ANT. GVBERTI COSTANI IVRIS VTRIVSQVE CONS. & apud Tolosates professoris,

*

POLYHISTOR.

QVOD TIBI FIERI NON VIS ALTERI NE FECERIS

LVGDVNI,
APVD IOAN. TORNAESIVM,
ET GVL. GAZEIVM.
M. D. LXI.

Ι. ΦΕΡΡΙΟΛΟΥ.

Θαύματα πόλλα φέρει θνητοῖς πολύκαρπος ἄρουρα·
Πανδερκὴς ἅλιος θαύματα πόλλα βλέπει.
Κοσάνου δ' οὐδὲν ψυχῆς ἐπιδέρκεται μεῖζον.
Ὃς μὲν ὑπερβάλλει θαύματα πάντα λέγων.

INDEX CAPITVM.

bus

ANTONII GVBERTI COSTANI IVRIS·VTRIVSQVE CONSVLTI, ET APVD TOLOSATES PROFESSORIS, POLYHISTOR.

De veteribus nudo capite propalam incedentibus: & quibus ex cauſis id obtegerent: ac de pileo & eius vſu quædam obſeruatione digniſſima. CAPVT I.

QVOD mihi ſemper probatum eſt, nihil veteres Romanos in capite geſſiſſe: licet quibuſdam ſuſpectum ſit: omnibus tamen probatum iri ſpero, qui propius ſubiectos veterum auctorum locos, & quibus nitimur rationes, obſeruarint. Suetonius in Iulio, Caluitij deformitatem iniquiſſimè ferre, obtrectatorum ſæpe iocis obnoxiam expertus: ideoq; deficientem capillum reuocare à vertice aſſueuerat: & ex omnibus decretis ſibi à Senatu populoq; honoribus non alium aut recepit, aut vſurpauit libentius, quàm ius laureæ coronæ perpetuò geſtandæ. Et alibi de eodem, In agminibus nonnunquam equo ſæpius pedibus anteibat capite detecto, ſeu ſol, ſeu imber eſſet. Idem auctor de Caligula loquens, Raro, inquit, capillo, ac circa verticem nullo erat. Quare tranſeunte eo, proſpicere ex ſuperiore parte, aut omnino quacunque de cauſa capram nominare, criminoſum & exitiale habebatur. Spartianus ſcribit Adrianum Imperatorem peragratis omnibus orbis partibus capite nudo, & in ſummis plerunque imbribus atque frigoribus, in morbum incidiſſe lethalem.

Iulius Cæſar caluus.

Ius laureæ coronæ perpetuò geſtandæ Cæſari tributum.

Nō licebat trāſeuntem Caligulam ex ſuperiore parte proſpicere.

Hadrianus Imper. nudo capite orbem peragrauit.

Herodianus refert Septimium Seuerum sæpe per altißimos montes, hyeme sæua, niuibus cælo ingruentibus, iuisse capite aperto, vt milites ad alacritatem & patientiam laborum cohortaretur. Ergo si orbis domini nudo palam incedebant vertice, quid de cęteris est coniiciendum? Consueuerant, non inficior, mulieres olim obtecto in publicum capite prodire: ob idq; Sulpitius Gallus vxorem suam dimisit: nimirum quòd eam capite aperto foris versatam cognouisset, vt ait Valerius lib. 6. cap. 3. At viri, inquit in Problematis Plutarchus, vertice nudo palam semper apparebant: vt essent capite validiores ad vitandas æstus frigorisq; iniurias, & vt magis prospera valetudine fruerentur. Hoc confirmant vetera numismata, in quibus Imperatorum & Consulum icones absque vllo capitis tegumento visuntur. Sed nec vllum extat apud veteres Latinitatis auctores verbum, quo illud capitis tegmen significetur, quo interdiu propalam incedentes, hoc tempore vtimur: quamuis paßim apud eos hæc capitis ornamenta tegumentá ve reperiantur, diadema, petasus, galerus, capital, reticulum, fascia crinalis, pilea, vitta, mitra, semimitra, crocophali, cuculio, pileus, & alia quædam longè aliud significantia. Et sanè pileus, quo ad exprimendum vulgare capitis tegmen plerunque vtimur, insigne olim libertatis fuit. Cum enim serui manumittebantur, raso capite pileū accipiebant. Vnde Persius,

Mulieres uelato capite in publicū prodibāt.

Cur ueteres nudo capite propalā incederēt.

Capitis tegumenta.

Pileus insigne libertatis.

Hæc mera libertas nobis quam pilea donant.

Et Plautus in Amphitr. *-quod ille faciat Iupiter,*

Vt ego hodie raso capite caluos capiam pileum.

Suffragatur Liuius li. 4. Decad. 3. Gracchus (inquit) Volonibus seruis iam manumißis permisit, vt publicè epularentur omnes pileati, aut lana alba velatis capitibus. Hinc illa locutio, Ad pileum vocare, id est, ad libertatem. Suetonius in Tyberio, Primò Præneste, inde Neapolim euasit, seruisq; ad pileum frustra vocatis, in Siciliā profugit. Liuius lib. 4. Decad. 3. Postero die serui ad pileum vocati, ex carcere vincti emißi, confusaq; omnis multitudo. Iustinianus ideo cauit constitutione de Latina libertate tollenda, vt qui domini funus pileati antecedunt, vel in ipso lectulo stantes cadauer ventilare videntur, si hoc ex voluntate testatoris vel hæredis fiat, perinde ciues Romani illico efficiantur, ac si directò manumissi essent.

Ad pileum uocare.

Explicata l. unica. de Lat. lib. tol. C.

Solebant

Solebant etenim liberti quondam pileos in capite habentes, patronorum lectulos comitari, qui ad summum tres in funeribus efferebantur: aut in lectulis stare, vt eorum cadauera ventilarent. Idem ab his factitatum reperio, quos ab hoste Romani liberassent, vel captos deditiorum loco habuissent. Hi enim velut libertate donati, pileos quoque gestabant, & funus auctorum libertatis pileati comitabantur. Liuius lib. 10. Decad. 3. Secutus (inquit) Scipionem triumphantem pileo capiti imposito Q. Terentius Culleo, omniq; deinde vita vt dignum erat, libertatis auctorem coluit. Idem lib. 8. Decad. 4. & Appianus in Mithrid. narrant Q. Terentium Culleonem ante lectum Scipionis Africani in funere pileatum isse, sicut in eius triumpho ierat: quòd ab eo in Africa ex hostibus receptus esset. Hac de causa Liuius auctor est lib. 5. Decad. 5. Prusiam Regem Bithyniæ legatis Romanis raso capite pileatum obuiam ire solitum, quòd libertum se populi Romani diceret. Aurelius Victor scribit interitu Neronis adeò Romam & cunctas prouincias exultasse, vt plebs induta pileis manumissionum, tanquam sæuo exempta domino, triumpharet. Idem factum Appianus narrat interfecto Idibus Martiis Cæsare Dictatore. Atque ideò Brutus, vt Dion refert lib. 47. numismatis, quæ faciebat, suam imaginem cum pileo, & duobus pugionibus impressit, eo, & inscriptione significans patriam à se, & Cassio in libertatem esse vindicatam. Perspicuũ est igitur ex his, quæ suprà commemorauimus, veteres Romanos cùm sudum aut serenum erat, nudo in publicum capite prodiisse. Quod etiam Siciliæ Reges obseruasse ex Æliano perspici licet. Is enim lib. 11. de varia Hist. sic ait, Agathoclem Siciliæ Tyrannum aiunt perquam ridiculo, & turpi capite fuisse. Cùm enim paulatim defluentibus capillis denudaretur, pudore ductus myrtea corona crinem obtexit, quæ quasi vallum erat, & tegmen caluitio. Quin Cicero in Catone maiore, de Masinissa Mauritaniæ Rege, socioq; populi Romani ita scribit, Arbitror te audire, Scipio, hospes tuus Masinissa, quæ fecit hodie nonaginta annos natus, cùm ingressus iter pedibus sit, in equum omnino non ascendere, cùm equo ex equo non descendere: nullo imbre, nullo frigore adduci, vt capite operto sit. Veteres tamen Romani ob arcendos Solis ardores,

Liberti olim patronorum cadauera pileati comitabantur.

Ab hoste liberati & deditiorum loco habiti pileos gestabant.

Terent. Culleo.

Mortuo Nerone plebs sumpsit pileos manumißionum.

Brutus suis numismatis pileũ cum duobus pugionibus incidit.

Agathocles.

Masinissa.

Quibus ex causis ueteres obtegerent capita.

ardores, vitandas grandines, pruinas, pluuiam, aliámve aëris intemperiem, petasum, galerum, aliúdve id genus capitis tegmen sumere consueuerant. Ideò Dion in vita Calig. scribit Senatoribus olim concessum ad vitandos Solis ardores pileos in theatrum ferre. Augustus, vt Suetonius est auctor, vt aëris incommoda vitaret, non nisi petasatus sub Dio spatiabatur. Domitianus, quemadmodum idem auctor refert, arrepto pileo, aut galero post crepusculum popinas inibat, tabernas effringere & expilare consueuerat. Sed & aliis de causis veteres Romani capita obnubebant. Neque enim aliter deos venerabantur, quàm capite obtecto. Cicero lib. 2. de natura Deor. At verò apud maiores tanta religionis vis fuit, vt quidam Imperatores etiam se ipsos Diis immortalibus capite velato verbis certis pro Republica deuouerent. Suetonius in Vitellio, Idem miri in adulando ingenij. Primus Caium Cæsarem adorari, vt Deum, instituit, qui reuersus è Syria non aliter eum adire ausus est, quàm capite velato. Quintus Curtius lib. 4. Alexander non aliàs magis territus, ad vota & preces Aristandrum vocari iubet. Ille in candida veste verbenas manu præferens, capite velato præibat preces regis, Ioue, Mineruaq; victoriam propitiantis. Tunc quidem sacrificio rite perpetrato, reliquum noctis acquieturus in tabernaculum rediit. Plautus in Amphitruone,

Augustus sub Dio petasatus spatiabatur.

Ritus ueneratiónis Deorum.

Inuocat Deos immortaleis vt sibi auxilium ferant,
Manibus puris, capite operto.

Multa huius generis exempla apud Liuium suppetunt lib. 1. Decad. 1. Cur autem Ethnici Deos venerarentur, & sacra operto capite facerent, variæ ab antiquis afferuntur rationes, quas hîc subiicere operæpretium fore puto. Virgilius lib. 3. Æneidos suam hac de re sententiam his versibus aperit,

Cur ueteres operto capite Deos uenerabantur.

Quin vbi transmissæ steterint trans æquora classes,
Et positis aris iam vota in littore solues:
Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum
Hostilis facies occurrat, & omnia turbet.
Hunc socij morem sacrorum, hunc ipse teneto:
Hac casti maneant in relligione nepotes.

Plutarchus id receptum, & obseruatum fuisse scribit Herculis

culis exemplo, qui dicto oraculi audiens, ne à quoquam internosceretur, Palladium velato capite Troiam detulit: sicq; hostis vitauit periculum. Macrobius autem lib. 1. Saturnal. c. 8. Non me latet (inquit) Gellium scribere Senatum decreuisse, vt ædes Saturni fieret, eiq; rei Furnium trib. milit. præfuisse. Habet aram & ante se cœnaculum. Illic Græco ritu, capite operto res diuina fit: quia primò à Pelasgis, pòst ab Hercule ita eam à principio factitatam putant. Vnde intelligimus non semper, nec vbique id apud Latinos fuisse obseruatum. Moris porrò erat, vt liberi capita cooperirent, cùm parentum cadauera efferrentur, vt Plutarchus est auctor. Sed & nocentium obtegebantur capita, cùm mortis pœnam dependebant. Liuius lib. 1. Lex horrendi carminis erat: Duumuiri perduellionem iudicent. Si à Duumuiris prouocarit, prouocatione certato: si vincent, caput obnubito, infelici arbori reste suspendito, verberato vel intra pomœrium, vel extra. Hebræi ob indicium doloris & luctus, capita etiam cooperiebant, vt exemplo Amani perspicuum fit Esther cap. 6. Ne quid hoc loco à nobis prætermissum videatur, adscribam quæ de nuptiali operimento non leues auctores prodiderunt. Ælius & Cincius, vt Festus notat, nuptias dictas esse aiunt, quia flamineo caput nubentis obuoluatur, quod antiqui obnubere vocarunt. Varro lib. 1. de ling. Lat. Neptunus (inquit) dictus est, quòd terras & mare obnubit, vt nubes cælum, à nuptu, id est, opertione, vt antiqui, à quo nuptiæ, & nuptus. Plinius lib. 21. cap. 8. Lutei video honorem antiquissimum, in nuptialibus flammeis totum fœminis concessum. Et forte pudoris causa cùm in domum mariti virgines deducebantur, capita sua obnubebant. Vnde Rebecca Genes. 24. conspecto eminus Isaac, cui nuptura erat, descendit de monte, & pallio se obtexit.

Hercules uelato capite Palladium Troiam detulit.

Liberi operiebant capita in funere parentũ.

Nocentes olim capite operto plectebantur.

Operimentum capitis apud Hebræos indicium luctus aut mœroris.

Nuptiale operimentum.

Cur nubentes uirgines capita operiant.

De Glasto, quod Græcè ἰσάτις, & vulgò Pastellum dicitur. CAP. II.

PAtria nostra charissima illud præcipuum, & obseruatione dignissimum inter cætera habet, quòd sola ex omnibus orbis partibus glastum efficax ad lanas, pannosq; inficiendos producit. Illud enim

Glastum Plantagini simile, aut potius Cynoglosso.
Duo Glasti genera.

ſic lanarum, pannorumq; infectus corroborat, vt nunquam elidi, deperiréve poſſint. Eſt autem Glaſtum herba plantagini ſimilis, vt Dioſcorides ait: aut potius cynogloſſo, quod vulgus pharmacopolarum linguam canis vocat. Cæterùm Glaſti duo ſunt genera: vnum cynogloſſo prorſus ſimile, quod cum denſa & hirſuta folia habet, tum facilè terram contrahit: atque ideo minus probum eſſe creditur. Alterum genus præſtantius eſt, habetq; tenues magis ac nitidos caules.

Quo tempore seratur & colligatur Glastũ.

Vtrunque Ianuario menſe ſeritur, ſoletq; Maio primùm legi, & ſingulis deinceps menſibus vſque ad Octobrem: quod plerunque ſepties eo interſtitio fit. Collectum autem in piſtrinũ conijcitur huic rei accommodatum, vbi continua truſatilis, dentatæq; molæ conuerſione tandiu illius folia teruntur, quoad lutum & quaſi cœnum quoddam inde cõfectum eſt.

Glastum quomodo teratur.

Tum verò agglomeratur, ac cùm dies aliquot ita compactum in aprico manſit, vt fluens inde liquor iam abactus videatur, ex eo globos aut paſtillos noſtrates conficiunt, quos in ſuperiori eius piſtrini parte, alióve editiori loco, ſuper tabulatis exſiccandos relinquunt, donec verſatili mola teri poſſint, & in puluerem deduci. Quod cum factum eſt, in occluſo loco, ne quis flatus puluerem diſpergat, ſæpius ventilabris ſubiactatur, & ne nimis incaleſcat, aqua etiam, aut putrido vino aſpergitur. Poſteà verò lanarum infectores illud cortinis immittunt, vt concoquatur, donec immiſſa vellera cæruleum colorem contrahant.

Qualem colorẽ glastũ efficiat.

Memini Britannos, qui vulgò Angli dicuntur, eũdem colorem olim corporibus induxiſſe ſolis caulibus Glaſti. Ita enim Cæſar lib. 5. de Bello Gall. Omnes verò (inquit) ſe Britanni Glaſto inficiunt, quod cæruleum efficit colorem: atque hoc horribiliore ſunt in pugna aſpectu: capilloq; ſunt promiſſo, atque omni parte corporis raſa, præter caput & labrum ſuperius.

Britanni se Glasto inficiebant.

Sed & Britannorum coniuges atque nurus glaſto toto corpore oblitæ, quibuſdam in ſacris nudæ incedebant, Æthiopum colorem imitantes, vt Plinius ſcribit lib. 22. cap. 1. Vnde Propertius,

Nunc etiam infeſtos demens imitare Britannos,
Ludis & externo tincta nitore caput.
Vt natura dedit, ſic omnis recta figura
Turpis Romano Belgicus ore color.

Belgicus color.

Eodem

Eodem pertinet illud Martialis,

Barbara depictis venit bascanda Britannis.

Cæterùm hodie, cum molitum, ſiccatum, & tandem in pulverem redactum eſt Glaſtum, ac, vti diximus, ſubiactatum, mulionibus & nauarchis in Aſiam, Africam, & omnes Europæ partes vehendum committitur. vnde magno noſtratium bono eius mercis negociatores maxima compendia faciunt. Et quidem hæc, dum ſæuiſſima peſtis Toloſanos abegiſſet, & ruri iucundiſſimo otio frueremur, in noſtro Glaſti piſtrino obiter deſcripſimus anno ſalutis per IESVM CHRISTVM mortalibus allatæ ſeſquimilleſimo quinquageſimo ſeptimo.

De vario veterum ſalutationis ritu. CAP. III.

Varij apud veteres fuerunt ſalutationis, venerationisq; ritus, quos ſi breuiter & perſpicuè ex probatis auctoribus deſcripſero, operæpretium facturus videor. Solebant itaque priſci honoris ergò ſemita cedere, equo deſcendere, caput adaperire, oſcula impertiri, ac ſuis quenque nominibus ſalutare. Seneca in epiſt. Si Conſulem video aut Prętorem omnia quibus honor haberi ſolet, faciam, equo deſiliam, caput adaperiam, ſemita cedam. Dion lib. 45. hiſtor. Rom. Seruilius Iſauricus quòd ſibi pedibus ingredienti quidam equo inſidens obuiam factus, equo non deſilijſſet, ſed rectà præteruectus eſſet: vbi eum fortè in iudicio vadimonium habentem agnouit, rem anteactam iudicibus expoſuit: qui mox rei indignitate ita commoti ſunt, vt eius admiſſi inſimulatum indicta cauſa damnarint. Quintus Curtius lib. 9. Cænus auſus eſt, inquit, cunctantibus cæteris propius tribunal accedere, ſignificãs ſe loqui velle: quem vt videre milites detrahentem galeam capiti (ita enim Regem alloqui mos eſt) hortari cœperunt, vt in cauſam exercitus ageret. Plutarchus in Problem. ſcribit, ideo magiſtratibus, alijsq; honoratioribus veteres diſcooperuiſſe caput, vt res omnes ſalutantium illis patere ſignificaretur. Xenophon in oratione de Ageſilai laudibus ſcribit, Perſas conſueuiſſe deoſculari eos, quos honore proſequebantur. Sed Herodotus rem planius exponit lib. 1. Apud Perſas (inquit) ſi pares in via obuij fiant,

Seruilius Iſauricus.

Pœna non deſilientis equo cui occurrebat magiſtratus.

Cur ſalutando caput diſcooperiamus.

Perſæ honoris cauſa oſculum exhibent.

salutationis loco, mutuò sese osculantur. Quod si alter paulò humilior sit, genua alterius osculatur: sin multo inferior, prostratus adorat. Ideo Numidiæ Reges, ne in summo honoris fastigio positi, rem humilem, & abiectam vsurpare viderentur, nulli mortalium osculum ferebant, quemadmodum Valerius refert. Quantum verò honoris osculatione Romani tribui putarint, ex eo apparet, quod de Amphilochio Iconij episcopo Theodoritus lib. 5. cap. 16. ad hunc modum scribit, Ad Theodosium accessit Amphilochius supplicans, vt Arrianorum cœtus ex vrbibus eijcerentur. quod Imperator, tanquam nimis durum, admittere noluit. Tum itaque sapientissimus Amphilochius siluit, ac memorabile excogitauit artificium. Ingressus itaque post aliquot dies in regiam, conspicatusq; adstantem Imperatori filium Arcadium, qui Imperator paulò ante fuerat designatus, ipsum quidem Imperatorem de more salutauit, filio autem nullum prorsus honorem detulit. Id factū obliuione Imperator ratus, ad filium iubet Amphilochium accedere, & illum osculari. Cui Amphilochius satis respondit esse, quòd ipsi honorem detulisset. Ægrè admodum id tulit Imperator, ac iniuriam filio illatam sibi factam interpretabatur. Tum itaque Amphilochius propositum suum patefecit, & cum clamore, Tam (inquit) molestè fers, ô Imperator, filij tui contemptum, tamq; succenses vehementer contumeliosis erga illum? persuadeas igitur tibi omnipotentem quoq; Deum odisse blasphematores vnigeniti filij sui, eosq; velut ingratos erga seruatorem suum meritò abominari. His intellectis, cum admiratione dictorum, factorumq; legem confestim tulit Imperator, qua cœtus Arrianorum prohibebantur. Sed quoniam apud veteres Romanos varij quondam fuerunt osculationis ritus, atque rationes, vt rem omnem enodatius explicem, de osculatione, amplexu, & veneratione manus, genu, & pedum singulatim agendum est, & veterum scriptorum loci subijciendi. Sic enim istiusmodi obseruationum causa & origo facilè innotescent. Plutarchus in Catone, Cùm milites (inquit) Catonis Vticensis abitum molestè admodum ferrent: tum his locis vestes strauerūt, quibus ipse pedibus iturus erat: eiusq; manus osculati sunt. quod genus honoris non nisi Imperatoribus, idq; perpaucis, eo tempore tribuebatur. Plinius lib.

Numidiæ reges neminem osculantur.

Quomodo Amphilochius Theodosio suasit, ut Arrianorū concilia prohiberentur.

Amphilochij mirabile artificium.

Theodosius cœtus Arrianorū prohibuit.

Vestes sternere honoris causa.

Osculatio manuum.

lib. 11. cap. 45. Inest & in aliis partibus quædam Religio: sicut dextra osculis auersa appetitur, in fide porrigitur. Idem lib. 28. cap. 2. In adorando dextram ad osculum referimus, totumq; corpus circumagimus. Suetonius in Caligula, de Cassio Cherea loquens, Quem Caius, inquit, seniorem iam & mollem & effœminatū denotare omni probro consueuerat: & modò signum petenti Priapum aut Venerem dare, modò ex aliqua causa agenti gratias, osculandam manum offerre, formatam commotamq; in obscœnum modum. Ioseph. de bello Iudaic. lib. 1. cap. 20. Antipater cùm Herodem salutaturus aduenisset, eiusq; manus osculari & genu amplecti voluisset, repulit eum Rex dicens, Tam grauium admissorum reum ad hanc salutationem admitti non debere. Nicephorus Callistus lib. 13. cap. 6. Theodorit. lib. 5. cap. 33. & Histor. Tripart. lib. 10. cap. 6. Gainas Arrianus, cùm discessionem à Constantino fecisset, nec quisquam auderet ad eum orator ire, Ioannes Chrysostomus legationem suscepit. Itaque quamuis Gainas hostis & barbarus esset, honoris tamen causa longius Chrysostomo obuiam progressus est, eiusq; dextram oculis admouit, ac liberos suos eius genua osculari præcepit. Appianus Alexandrinus lib. 2. Belli ciuilis interitum Iulij Cæsaris enarrans, Læna, inquit, paulò ante Cassium allocuta, instantius quædam obuio Cæsari dicebat. Cuius rei obseruatio & mora adeò terruit coniuratos, vt se inuicem intuentes priusquam deprehenderentur, meditatum facinus aggredi & peragere vellent. Sed cùm longius sermo produceretur, substiterunt, rati quidpiam potius Lænam deprecari, quàm nuntiare: ac cum Cæsaris genua vltrò amplecteretur, magis assumpsere animos. Osculatione pedum ita veteres vsi sunt, vt ea solùm principes viros impertirent. Seneca lib. 2. de Benefic. cap. 7. Cæsar dedit vitam Pompeio Pœno, si dat, qui non aufert. Deinde absoluto & agenti gratias porrexit ad osculandum sinistrum pedem. Solebant etiam veteres honoris ergò aduenientibus assurgere. Cuius obseruationis contemptus partim Cęsari exitio fuit. Eutropius lib. 6. Cùm ergo Cæsar, inquit, & honores ex sua voluntate præstaret, qui populo anteà deferebātur, nec Senatui ad se venienti assurgeret, aliaq; regia ac penè tyrannica faceret, coniuratum est in eum

Dextra osculis appetitur.

Cassius Chærea

Osculatio manus & genu amplexio.

Gainam nemo audebat conuenire.

Chrysostomus.

Collocutio Lænæ cōiuratores terruit.

Osculatio pedū

à LX. amplius Senatoribus equitibusque Romanis, tandem vigintitribus vulneribus confossus est. Porrò obuij quoties nomina succurrebant vicissim suis se nominibus salutabant, vt Seneca lib. 1. Epist. scribit. Itaque cùm Hippocrates rogatu Abderitarum, ad Democritum profectus fuisset, vt qua eum laborare insania ob frequentem risum Abderitæ credebant, sua industria liberaret: Hippocrates Democritum nomine compellauit. Democritus verò, quòd Hippocratem de facie non nosset, hospitem salutando nuncupauit: atque ideo pudore suffusus, Te, inquit, quo nomine vocabimus? Ignorantia enim tui nominis effecit, vt te hospitem appellarem: tum alter nomen suum indicauit. Quod & ipse Hippocrates quadam ad Damagetum epistola scripsit. Hoc in salutandis etiam Imperatoribus vsurpatum fuisse reperio: nam Lampridius in Alexandro, Salutabantur (inquit) nomine, hoc est, Aue Alexander.

Imperatores nomine salutabãtur.

De osculo. CAP. IIII.

ADmonet superior osculorum mentio, vt de illis vberius hoc capite dicamus. Sciendum est igitur auctore Plutarcho in Probl. in lib. de Clariss. mulier. & in vita Romuli, vsum osculorum, qui apud Romanos fuit, à Troianis mulieribus cœpisse. Ille enim capta & euersa Troia, post longam nauigationem, longi erroris pertæsæ, naues ad littus Italiæ cùm incendissent, ob idq; iracundiam virorum formidarent, obuiam eis processerunt: ac osculando tam viros, quàm parentes insueto humanitatis genere illorum iracundiam placarunt. Vnde factum est, vt propinqui & mulieres & necessarios suos amplexi frontem oscularentur. Aliunde osculorum rationem ducit Athenæus libr. 10. Dipnosoph. cap. 23. Cum Crotoniatum ingressus fuisset Hercules, mulier, quæ paulò ante dolium vini clam aperuerat, à marito petiit, vt in gratiam peregrini dolium aperiret. Quod cùm illi placuisset, Hercules præ foribus hæc omnia obseruans, obnixè eum rogauit, vt dolium inuiseret, quod posteà repertum est lapideum. Quamobrem ex eo tempore vino vti turpe mulieribus fuit: ac vt sobriæ & abstemiæ

Vsus osculorum à Troianis manauit.

Viri osculationibus placati.

Vini usus mulieribus interdictus.

abstemiæ probarentur, eas cognati osculari solebant, quemadmodum Plinius scribit libr. 14. cap. 13. Arnobius libr. 2. aduersus gentes. Plutarchus in Probl. & Gellius lib. 10. ca. 23. Vnde Tertul. Apologetici cap. 6. Sub Romulo, inquit, quæ vinum attigerat, impunè à Mecenio marito trucidata est. Idcirco & oscula propinquis offerre necesse erat, vt spiritu iudicarentur. Alia osculorum à Plutarcho cōmemoratur ratio, nempe quòd cùm nuptiis cognatorũ & affinium interdictum esset, illud comitatis genus, tanquam cognationis signum remansit. Sed qualis sit cunque osculorum apud Romanos origo, illud sine cunctatione recipiendum est, oscula apud eos amoris & cuiusdam necessitudinis symbolum fuisse: adeò vt etiam dignatione maiores illud minoribus præberent. Dion lib. 59. de C. Caligula loquens, Aliquādo, inquit, serico vestitu aut triumphali ornatu inter populum versabatur, paucos osculabatur, plerisque Senatorum manũ tantum aut pedem adorandum porrigebat. Quibus autē id amicitiæ ab eo oblatum fuisset, ij in Senatu gratias ei agebant: cùm quotidie eum saltatoribus oscula dare viderent. Tranquillus in vita eiusdem, Marcum, inquit, Nestorem Pantomimum etiam inter spectacula osculabatur. Idem auctor in Nerone ostendit moris fuisse principibus Romanis, vt cùm peregrè proficiscerētur, vel redirent, quenque Senatorum oscularentur. sic enim ait: Multas nec dubias significationes sæpe iecit, nec reliquis quidem se parsurum Senatoribus, eumq; ordinem sublaturum quandoque è Republica, ac prouincias & exercitus equitibus Romanis ac libertis permissurum. Certè neque adueniens neq; proficiscens quenquam osculo impertiuit, ac ne resalutatione quidem. Interdum tamen apud Romanos osculatio tanquam nefarium facinus vindicata est: quòd pro tempore & loco res lasciuior, quàm par sit, cordatis hominibus videretur. Itaque Cato Censorius, auctore in eius vita Plutarcho, Manlium virum clarissimũ consulem designatum è senatu mouit, quòd interdiu præsente filia osculatus esset vxorem. Quin Valerius refert Meuium quendam ciuem Romanum in libertum animaduertisse, quòd filiæ suæ nubilis iam ætatis osculum dedisset. Tranquillus scribit Tiberium Cæsarem quotidianas osculationes edicto prohibuisse. credo quòd multi ad lasciuiam

Impunè mulier trucidata, quæ uinum biberat.

Caligula paucos osculabatur, plerisq; manum aut pedem adorādum porrigebat.

Cæsares peregrè abeuntes aut redeuntes quenq; Senatorũ osculabātur.

Osculatio uti res lasciuior interdũ uindicata

Manlius senatu motus propter osculationem.

Edictum Tiberij de osculis.

Osculum indicium amoris.

lasciuiam illis abuterentur. Apud Hebræos osculationem symbolum quoddam propensæ beneuolentiæ & necessitudinis fuisse ex multis locis sacrorum Bibliorum compertum habemus. Geneseos cap. 29. Vt primùm Iacob Rachelem cognatam suam agnouit, osculatus est eam: quæ mox patri suo nuntiauit, adesse Iacob filium sororis eius. Is autem confestim Iacob obuiam venit, complexusq; eum, ac in oscula ruens, duxit in domum suam. Exodi 18. Moses egressus in occursus cognati sui Ietri, adorauit, & osculatus est eum. Actor. cap. 20. Magnus fletus coortus est omnium, & ruētes in collum Pauli osculabātur eum, dolentes maximè ob sermonem, quem dixerat, quod amplius eum non viderent. Et Paulus in posteriore ad Corinthios epistola, Salutate, inquit, vos inuicem osculo sancto. Nec frustra adiecit sancto, sed vt osculationes libidinum secluderet. Sunt itaque à Christianis dein vsurpata oscula, tanquam symbola pacis, concordiæ, amoris, & necessitudinis, quæ inter eos intercedebat. Clemens Alexandrinus lib. 7. disposit. suarum, Quoniam, inquit, & is qui obtulerat eum iudici, Iacobum scilicet, motus etiam ipse confessus est se esse Christianum. Ducti sunt ambo pariter ad supplicium, & cum ducerentur in via rogauit Iacobum dare sibi remissionem (ita locum Clementis interpretatur Ruffinus.) At ille parumper deliberans, Pax tibi, inquit, & osculatus est eum. Sicq; ambo capite plexi sunt. quod & Eusebius refert libr. 2. histor. Eccl. cap. 9. Tertullianus in lib. de Oratione, Alia iam inualuit consuetudo, ieiunantes habita oratione cum fratribus subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum orationis. Idem lib. 2. ad vxorem, de marito Gentili & vxore Christiana loquens, Quis, inquit, in carcerem ad osculanda vincula martyris vxorem reptare patietur? Iam verò alicui fratrum ad osculandum conuenire? aquam sanctorum pedibus offerre? Hinc perspicuum est veteres Christianos ita obseruasse & coluisse martyres, vt etiam eorum vincula oscularentur. Neque verò in vinculis solùm hunc ritum vsurparunt, sed & in vasis æreis vel argenteis, quibus diuorum martyrum reliquiæ continebantur. Prudentius poëta Christianus in lib. περὶ στεφανῶν, de beato Hippolyto loquens & eius ara,

Osculationes à Christianis vsurpatæ.

Iacobi Apostoli martyrium.

Mulier Christiana impio nubere non debet.

Ipsa illas animæ exuuias, quæ continet intus
Aedicula argento fulgurat ex solido.
Præfixit tabulas diues manus æquore læui,
Candentes recauum quale nitet speculum.
Nec Parijs contenta aditus obducere saxis,
Addidit ornando clara talenta operi.
Mane salutatum concurritur: omnis adorat
Pubes, eunt, redeunt, solis adusq; obitum.
Conglobat in cuneum Latios simul, & peregrinos
Permistim populos, relligionis amor.
Oscula perspicuo figunt impressa metallo
Balsama diffundunt, fletibus ora rigant.
Iam cùm se renouat decursis mensibus annus,
Natalemq; diem passio festa refert:
Quanta putas studijs certantibus agmina cogi,
Quæ'ue celebrando vota coïre Deo?
Vrbs Augusta suos vomit effunditq; Quirites,
Vna & Patritios ambitione pari.
Confundit plebeia phalanx vmbonibus æquis,
Discrimen procerum, præcipitante fide.
Nec minus Albanis acies se candida portis
Explicat, & longis ducitur ordinibus.

De misero quorundam impiorum exitu, qui Christianam perosi sunt aut insectati religionem. CAP. V.

QVam miserè multi perierint, qui Christo aduersati sunt, & Christianam pietatem ferro aut conuiciis insectati, subiecta ex variis auctoribus exempla abundè patefacient. Florens Tertullianus in libro, quem ad Scapulam pręsidem Carthaginiensem scripsit, Possumus, inquit, exitus quorundã præsidum tibi proponere, qui in fine vitæ suæ recordati sunt deliquisse, quòd vexassent Christianos. Vigellius Saturninus, qui primus hic gladium in nos egit, lumina amisit. Claudius Herminianus in Cappadocia, cùm indignè ferens vxorem suam ad hanc sectam transisse, Christianos crudeliter tractasset, solusq; in prætorio suo vastatus peste cùm viuus vermibus ebullisset, nemo sciat, aiebat,

Vigellius Christianorũ interfector uisum amisit.

Calamitas Claudij Christianorum osoris.

bat, ne sciant Christiani. Posteà cognito errore suo, quòd tormentis quosdam à proposito suo excidisse fecisset, penè Christianus decessit. Sed qui videntur impune tulisse, venient in diem diuini iudicij. Tibi quoq; optamus admonitionem solam fuisse, quòd cum Adrumeticum Manilium ad bestias damnasses, & statin hæc vexatio subsecuta est, & nunc ex eadem causa interpellatio sanguinis. Sed memento de cætero. Non te terremus, qui nec timemus: sed velim vt omnes facere possimus monendo, μὴ θεομαχεῖν. hæc Tertullianus. Miser admodum ac probrosus fuit interitus teterrimi & scelestissimi hostis verę pietatis ac religionis Arrij, vt perspici licet ex Theodorito lib. 1. Eccl. histor. cap. 14. ex Socrate apud Cassiodorum lib. 3. histor. Tripart. cap. 10. & ex Ruffino lib. 10. cap. 13. Cùm enim post decretũ œcumenicę synodi Nicenæ, quæ celebrata est anno salutis 327. denuò scelerosus ille Arrius erumperet, & falsa sua dogmata vafrè, scelestè, ac impiè exereret, tum Eusebij Nicomedensis eiusq; sectatorum præsidio munitus, tum iussu, nedum assentatione Imperatoris, fretus, cui captioso & fallaci verborum commento facilè persuaserat, se subscribere Niceni concilij decretis: Alexander Constantinopoleos vrbis episcopus iure ei restitit, dicens inuentorem hæreseos in ecclesiam recipi non oportere, præsertim aduersus œcumenicæ synodi decretum. Sed cùm Eusebiani, qui Arrium & eius dogmata tuebantur, postridie Arrium in communitate ecclesiæ futurum affirmarent, Alexander videns piorum causam periclitari, hoc vsus est perfugio: ingressus est ædem sacram, ac manus ad Deum ex animo sustulit, totam noctem pronus iacens, & causam ecclesiæ Deo commendans, quem obnixè cum lachrymis deprecabatur, vt si futurus erat in communitate ecclesiæ Arrius, dimitteret seruũm suum, neque perderet iustum cum impio. Aliter intueretur Eusebianorũ verba, neque traderet in vastationem & probrum hæreditatem suam, sed Arrium è medio tolleret: ne eo introeunte in ædem sacram, eius quoque secta recipi videretur. Hæc precatus Alexander, mœstus discesit. Cæterum cùm illuxisset dies, Eusebius velut hæretici belli signifer, in ædes Arrij concedit, eumq; properè ad basilicam sequi iubet, protestatus, Alexandrum ni præsens adquiesceret, ab ea expul

Historia Arrij.

Nicena synodus

Alexãder Constant. episcopus

Optimum perfugium.

expulsum iri. Igitur cùm omnes summo eius rei videndæ desiderio tenerentur, Arrius magna hominum comitante caterua ad templum proficiscitur: ac interim angore conscientiæ fraudisq; cruciatu agitatus, ac territus in profluuium ventris incidit, quo cùm vehementer premeretur, in foricas secessit, quæ pone forum Constantini erant: vbi cum sederet, intestina eius nécnon viscera omnia in foricæ cuniculum defluxerunt: sicq; fœdè exanimatus interiit. Quod vt molestum impiis fuit, ita piis gratum, qui concordes adorauerunt & magnificauerunt Deum: non quòd illum mortuum esse lætarentur, sed quòd iudex fuisset inter minas Eusebianorum & preces Alexandri damnata Arriana secta: quandoquidem indignam esse constaret, quæ in ecclesia Dei reciperetur. Succurrit non minus memorabile Iuliani exemplum, qui Iuliani Imperatoris auunculus fuit. Is, quemadmodum Nicephorus scribit lib. 10. cap. 29. Theodoritus lib. 3. cap. 13. & Socrates apud Casiodorum libr. 6. historiæ tripart. Sacra ornamenta Antiochenæ ecclesiæ & simpula, quibus in sacris prolibant sacrificuli, contemptu Christianæ religionis in terram decusit, & in Christum redemptorem nostrum impiè & scelestè debacchatus est. Quod admissum hæc diuinitus consecuta est vltio. Mox enim difficili & incognito morbo correptus ita afflictus dies quadraginta iacuit, vt neque loqueretur, neque sentiret quicquam. Posthac verenda eius & loca finitima tantam contraxerunt putredinem, vt vermes procreati sint, qui nullis quoad vixit, abigi medicamentis potuerunt. Felix imperialium thesaurorum curator, quia eiusdem sceleris conscius fuerat, & conspectis tanti pretij vasis, talia iocans dixerat, Ecce quibus vasis Mariæ filius diuina re peragenda colitur: eodem die simul animum cum sanguine emisit. Ob simile admissum Espidius imperatoriæ domus præfectus misera morte interiit. vt iidem auctores memoriæ tradiderunt, Iulianus Augustus, qui post agnitam Christianam religionem & verum Dei cultum in idololatriam prolapsus est, & Christi sectatores mirum in modum exercuit, dignam anteacta vita oppetiit mortem. Ei enim cùm in Persia esset, mirabiliter inflictum est siue ab angelo, siue ab homine vulnus, quo accepto despondens animum, manum suam sanguine

Miser Arrij interitus.

Sceleratum factum Iuliani.

Iuliani auunculi calamitosa mors.

Felicis thesaurorũ curatoris & Christi irrisoris interitus.

Iulianus imper. Christianorum osor.

Iulianus imper. uulnere mirabiliter inflicto exanimatus.

impleuit, & sparso illo in aëra dixit, Vicisti, Galilæe, vicisti? saturare Nazarene. significans Christum, cui anteà infestus fuerat, victoriam reportasse. Ita erat scelestus ille vir, & Christianæ pietatis osor animo consternatus, quemadmodum Theodoritus narrat lib. 3. cap. 25. & Nicephorus lib. 10. cap. 34. & 35. In Africa, vt Paulus Diaconus & Nicephorus scribunt, dum Arrianus quidam Olympius nomine, corpus aquis balnearibus abluens, indigna quædam & blasphema de sanctæ trinitatis fide verba euomeret, veniente desuper diuinitus igneo iaculo propalam combustus est. Sed & Anastasius Imperator, qui Eutychiana hæresi delibutus erat, cùm quosdam pios Episcopos, à quibus ad veram pietatem incitabatur, non sine contumelia eiecisset, anno Imperij sui 27. ictu fulminis periit.

Diuina cuiusdã Arriani uindicta.

De notis Pauli locus declaratus lib. 37. Digest. Tit. de bonorum poss. CAP. VI.

NOtas, literas non esse Pedius lib. 25. ad edictum scribit, eiq; assensus est Paulus libr. 37. Digest. tit. de bonorum poss. Atqui perperam hoc prodidisse videntur, cùm notæ sint singulariæ literæ sine coagmentis syllabarum, quemadmodum Gellius de notis Cæsaris ait. Is enim, vt Tranquillus refert, si qua occultius perferenda erant, per notas scripsit, id est, sic structo literarum ordine, vt nullum verbum effici posset: quæ si quis inuestigare & persequi velit, quartam elementorum literam, id est, d, pro a, & perinde reliquas cõmutet. Pro x, etiam duplex a, posuit. Dion auctor est lib. 55. Mæcenatem primum quasdam notas inuenisse ad celeriter scribendum, easq; per Aquilam libertum euulgasse. Festus scribit notas esse binas aut singulas literas. Eo autem scribendi genere quondam vsi sunt, & adhuc vtuntur, quò facilius cuncta excipiant, commentarienses, actuarij, scribæ, exceptores, amanuenses, & à notis dicti notarij. Seneca lib. 14. Epistol. Quid verborum notas, quibus citata excipitur oratio, & celeritatem linguæ manus sequitur. Suetonius in Tito, E pluribus, inquit, comperi, notis quoque excipere velocissime solitum, cum amanuensibus suis

Vtrum notæ sint literæ.

Cæsar res occultas notis scripsit

Mæcenas quasdam notas inuenit.

Notarij à notis dicti.

suis per ludum, iocumq; certantē. Ammianus Marcell. lib. 14. Ei assistebant hincinde Notarij, quid quæsitum esset, quid ve responsum, cursim ad Cæsarem perferentes. Modestinus Digest. ex quibus cau. maior. cap. 33. Eos, qui notis scribunt acta Præsidum, Reipublicæ causa abesse certum est. Paulus D. de milit. test. Lucius Titius miles notario suo testamentum notis dictauit, & antequam perscriberetur, vita defunctus est. quæro an hæc dictatio valere possit? Respondi, militibus quomodo velint, & quomodo possint, testamentum facere concessum esse. Ausonius Epistolarum lib. in Notarium in scribendo velocissimum,

Puer notarum præpetum
Solers minister aduola:
Bipatens pugillar expedi,
Cui multa fandi copia
Punctis peracta singulis,
Vt vna vox absoluitur.

Quintilianus lib. 11. cap. 2. habeamus, vt qui notis scribunt, certas imagines omnium & loca scilicet infinita, per quæ verba, quæ sunt in quinque contra Verrem secundæ actionis libris, explicentur. Huiusmodi notis descriptum Homeri poëma nucis putamine inclusum fuit, tempore Ciceronis, vt Solinus refert. Vt igitur Pedij sententiam tueamur, obseruandū est, notas signa esse, quibus compendio scribitur. Nec interest vtrum literæ sint, an alia signa. Cùm enim syllabæ non sint, nec integræ voces, sed singulæ tantùm, aut binæ literæ, quæ tunc ordinem suū, naturamq; non seruāt, rectè Pedius scripsit notas literas non esse. Iam enim literarum officio non funguntur, sed signorum. σημεῖα, inquit in Catone Plutarchus, ἐν μικροῖς, καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων δύναμιν ἔχοντα. vt meritò Iustinianus cauerit in proœmio Digestorum, & in Codice, tit. de veteri iure enucleando, nomina prudentum, & titulos, & librorum numeros per consequentiam literarum, non per signa, vel sigla, vt quidam legunt, manifestari, quò scilicet facilius legerentur, minusq; exposita forent, correctorum dicam, an corruptorum libidini, varietatiq; interpretationum. Quod etiam à quibusdam alijs principibus sancitum fuisse Isidorus testatur lib. 1. Etymol. cap. 22. Sigla verò literas

Homeri poëma nucis testa inclusum.

Locus Pauli declaratus.

Iustinianus noluit per notas leges scribi.

Sigla.

non coagmentatas Iustinianus appellat, aliásve notas, quibus res compendiò significantur. Sic Cicero nonnunquam se scribere solitum lib. 13. epist. ad Atticum, ostendit. Quod ad te (inquit) de decem legatis scripsi, parum intellexisti, credo, quia διὰ σημείων scripseram. Apud Græcos mortis supplicium θ iudices significabant. Persius,

Cicero per notas scribere solitus.

Theta signum mortis.

Et potis es nigrum vitio præfigere theta.

Apud Romanos, vt Pedianus scribit, frequens notarum vsus in ferendis suffragijs fuit. Cùm enim de capite alicuius agebatur, vniuersi Iudices in cistam tabulas simul conijciebant suas, absolutionis, condemnationis, vel ampliationis literis insculptas. Et quidem absolutionis signum erat A, condemnationis C, ampliationis N L, quibus literis non liquere significabant. Nam ex actis cum ferri debeat iudicium, si quando minus idoneæ probationes videbantur, causam iudices ampliabant: id est, amplius quærendum esse pronuntiabant. Hic autem mos per notas scribendi ab Ægyptijs manasse videtur, qui hieroglyphicis notis, atque adeò literis primi omnium vsi sunt, vt res, & animi sui pensa significarent. Tacitus, Primi (inquit) per figuras animalium Ægyptij sensus mentis effinxerunt, & antiquissima monumenta memoriæ humanæ impressa saxis apud eos cernuntur, & literarum inuentores perhibentur. Neque, vt Marcellinus lib. 16. ait, vt nunc literarum numerus præstitutus & facilis exprimit quicquid humana mens concipere potest, ita prisci quoque scriptitauerunt Ægyptij, sed singulæ literæ singulis nominibus seruiebant, & verbis nonnunquā significabāt integros sensus.

Mos conijciēdi in cistam suffragia.

Quādo satis nō liquet, iudex amplius quærendū esse pronūciat.

Ampliare.

Aegyptij primi omniū notis & literis usi.

Explicatæ quædam veteres, & recentes notæ. CAP. VII.

APud Ciceronem, aliosq; Latinitatis auctores quædam notæ passim offenduntur, quarum breuem interpretationem libitum est hîc subijcere. Imprimis itaque hæc nota LLS sestertium significat. confecta est autem ex illa L L, quæ, vt ait in lib. de ponderibus Priscianus, duarum librarum, & semis nota fuit. Sestertius autem dicitur, quasi semis tertium: quia duos asses, & semis valet. Quatuor itaque sestertij decem asses æquant, ac

Nota sestertij.

Sestertius nummus.

proinde

proinde denarium vnum. At sestertia neutro genere dicta sunt, quòd duas libras, & tertiæ semissem singula constituant: hoc est, asses bis mille, & quingentos, seu mille sestertios: denarios autem ducentos quinquaginta. Porro his notis, XII. HS. & duodecim sestertia, hoc est, sestertiûm nummûm duodecim millia, & duodecies sestertiûm, id est, duodecies centena millia sestertium nummorum significantur. Illi autem notę HS, hæc IƆ. plerunque additur, quæ quingenta denotat. Item illa I Ɔ Ɔ, qua millia quinque significantur: sicut hoc signo IƆƆƆ, quinquaginta millia, & illo IƆƆƆƆ, quingenta millia. Itaque si totidem apostrophi ad sinistram partem addantur, altero tanto prior numerus multiplicabitur: atque ideò his notis CIƆ. mille designabimus, illis, CCIƆƆ, decem millia, illis CCCIƆƆƆ. centum millia, & illis CCCCIƆƆƆƆ. decies centena millia, vt copiosè Volusius Metianus, Valerius Probus, Priscianus, & alij docent. Andreas Alciatus putat hoc signo IX. centum, illo Δ quingenta, hac verò forma, IXI. mille designari, quòd similibus notis rustici etiamnum vtantur: sicq; veteres eas exarasse affirmat. Hodie medici, & pharmacopolæ in præscribendis pharmacis has notas vsurpant Gr. ℈. ʒ. ℥. S. ß. ℔. Itaque hoc signo, Gr. Granum, hoc ℈. scrupulum, hoc ʒ. drachmam, hoc ℥ vnciam, hoc S. itemq; illo ß. semissem, & hoc ℔. libram notant. Et quidem notarum grani, semis, & libræ manifesta est ratio, cùm sint primores integræ vocis literæ: aliarum autem notarum alia probabilis afferri non potest ratio, quàm longo vsu recepta exarandi consuetudo: vt missas interim faciam alias veterum medicorum notas, quæ à Galeno, Dioscoride, & Paulo Ægineta describuntur.

Sestertium.

Medicorũ notæ

De amore, eiusq; remedio, & amantium signis.
CAP. VIII.

NIhil est, vt Iustinianus in Nouellis constitutionibus prodidit, amoris furore vehementius. Quod & multis rerum argumentis compertum habemus, & ea Procli confirmat definitio in lib. de Anima, & dæmone, Amor est appetitus vehemens atque robustus. Rectè enim Theophrastus, ἔρως, inquit, πάθος ἀλογίστου τινὸς

Amore nihil uehementius.

νὸς ἐπιθυμίας ὑπερβολή, ταχεῖαν μὲν ἔχουσα τὴν πρόσοδον, βραδεῖαν δὲ τὴν ἀπόλυσιν, id est, Amor est cuiusdam à ratione alieni cupidinis excessus, qui celerem accessum habet, tardum verò recessum. Ideò D.Hieronymus lib. 2. in Iouinianum dicebat, Amor formæ rationis est obliuio, & affectus insaniæ proximus: turbat consilia, altos ac generosos spiritus frangit. his congruunt insequentes Phocylidis versus,

Amor insaniæ proximus.

Μήδ' ἐς ἔρωτα γυναικῶν ἅπας ῥεύσῃς ἀκάτεκτον.
Οὐ γὰρ ἔρως θεός ἐστι, πάθος δ' ἀΐδηλον ἁτάντων.

Ne in amorem mulierum totus defluas, qui contineri non potest,
Non enim amor Deus est, sed affectus omnibus perniciosus.

Euripides,

Ἤρων, τὸ μαίνεσθαι δ' ἄρ' ἦν ἔρως βροτοῖς.

Amabam. Amor autem hominibus est furor.

Sed & Menander,

Δέσποιν' ἔρωτος οὐδὲν ἰσχύει πλέον.

Hera, nihil est amore potentius.

& rursus,

Φεῦ φεῦ βροτοῖς ἔρωτες, ὡς κακὸν μέγα;

Heu, heu, quantum malum mortalibus est amor?

Plato certè illum rem amaram nominat, & Orhpeus γλυκύπικρον, id est, dulce amarum: aut quia in amore nonnunquàm gaudium est, interdum mœror: aut quia amor voluntaria mors est, atque ideò dulcis, vti voluntaria: amara verò vti mors. Cato Censorius, auctore Plutarcho, dicebat, amãtes ita abalienari, vt in alieno corpore viuãt. Tanta est autẽ vis amoris, vt semper amanti, quod amat, pulcherrimum videatur.

Amor res dulcis & amara.
Amor uoluntaria mors est.
Amantes in alieno corpore uiuunt.
Res amata semper amanti pulchra.

Ἦ γὰρ ἔρωτι
πολλάκις, ὦ Πολύφαμε, τὰ μὴ καλὰ, καλὰ πέφανται.

vt Theocritus ait. Itaque Nicomachus, auctore Plutarcho, rudem quendam, qui sibi Zeusidis Helenam non pulchram videri dixerat, sic est allocutus, Sume tibi oculos meos, & Deam existimabis. Habet nihilominus amor vtiles quosdam, atque egregios effectus. Nam, vt Plutarchus notat, silentes, & taciturnos, loquaces, & garrulos reddit, musicam addocet, ingenium acuit, segnes excitat, & ad magnam alacritatem perducit. Itaque Plinius lib. 35. refert, Sicyonium Corinthi inuenisse

Egregij amoris effectus.

ſe artem fingendi ex argilla ſimilitudines filiæ opera: quæ capta amore iuuenis, illo abeunte peregrè, vmbram ex facie eius ad lucernam in pariete lineis circunſcripſit, quibus pater eius impreſſa argilla typum fecit, & cum cæteris induratum igni propoſuit, eumq́; ſeruatum in Nymphæo, donec Corinthum Nummius euerteret. Porrò amor, vt Plato cenſet, libidini, omnibusq́; voluptatibus dominatur, imperatq́; tribus fatis, Orpheo auctore, ac omnia gubernat, quæ in cælo, quæ in terra, & quæ in mari ſunt. Sic enim Orpheus in Veneris hymno,

Origo artis fingẽdi ex argilla.

Καὶ κρατέεις τρισσῶν μοιρῶν γεννᾷς δὲ τὰ πάντα

Ὅσσα τ' ἐν οὐρανῷ ἐστὶ καὶ ἐν γαίῃ πολυκάρπῳ.

Et tribus imperas Parcis, & gignis omnia,

Quæ & in cælo ſunt, & in terra frugifera.

Ideo Heſiodus antiquiſſimã amori tribuit originẽ, eumq́; prodijſſe poſt chaos, terram, & tartarũ in Theogonia ſcribit: eo ſignificãs omnibus innatũ conſeruãdi ſui & boni alicuius deſiderium. Sed quia nobis potiſſimum inſtituta eſt diſputatio de magno ac vehementi mortalium inter ſe amore, quomodo agnoſcantur, qui eo laborant, conueniens eſt vt indagemus. hoc autem tametſi difficillimum ſit cognitu atque explicatu: multi tamen varia amoris ſigna & indicia notarunt, quæ hic ſubijcere, quemadmodum ab auctoribus traduntur, operæpretium facturus videor. Paulus igitur Ægineta lib. 3. cap. 16. has eſſe ratus eſt ſequaces amantium notas, continentem palpebrarum motum, oculos concauos, non lacrymantes, pulſum penè nullum, pręterquam cùm res amata de repente occurrit, aut præter opinionem ab aliquo commemoratur. Ideo Eraſiſtratus medicus, vt Plutarchus in vita Demetrij refert, & Valerius lib. 5. cap. 7. facilè propenſum agnouit Antiochi erga nouercam amorem. Iuxta enim Antiochum ſedens, vt eum ad introitum Stratonices rubore perfundi, & ſpiritu increbreſcere, eaq́; egrediente pallere, & excitatiorem anhelitum ſubinde recuperare animaduertit, curioſiore obſeruatione ad ipſam veritatem penetrauit. Intrante enim Stratonice, & rurſus abeunte brachium adoleſcentis diſſimulanter apprehendendo modò vegetiore, modò languidiore pulſu venarũ comperit, quo morbo laboraret, atque adeò cuius amore teneretur. Id autem protinus Seleuco patri nunciat, qui filij in-

Origo amoris antiquiſſima.

Amoris ſigna.

Medicus Antiochi amorẽ deprehendit.

Seleucus uxorē suam filio in matrimoniū dedit.

teritum pertimeſcens chariſſimam ſibi coniugem filio in matrimonium dedit, fortunæ acceptum referens, quòd ille in amorem incidiſſet. Apuleius Aſini aurei lib. 5. quendam titubantem, & vacillantem eueſtigio, deinde pallore corporis, & aſsiduo ſuſpiritu ipſis non mœrentibus oculis amore nimio laborare coniectat. Eſt porrò indicium amoris tumor cauarum ſub oculis partium, quæ Græcè κυλάδες dicuntur. Vnde Tranquillus in Tiberio, Sed Agrippinā (inquit) & abegiſſe poſt diuortium doluit, & ſemel omnino ex occurſu viſam adeò contentis & tumentibus oculis proſequutus eſt, vt cuſtoditum ſit, ne vnquam in conſpectum eius poſthac veniret. Et quia perturbationum, quæ amantibus accidunt, neminem cauſa latere poteſt, illud quæramus, cur pallor, macies, & ſqualor nexibus amoris irretitos conſequantur. Et putarim ob ſanguinei caloris defectum: quippe quia vehemens, aſſidua, & laborioſa rei amatæ recordatio & contemplatio ciborum impedit concoctionem, ideoq; membra defectu alimenti extenuantur & pallent, deficiēte ſcilicet puriori ſanguine. vnde Hypermneſtra apud Ouidium,

Agrippinā Tiberius etiā poſt diuortium amauit.

Amantes cur pallidi.

Defectus concoctionis alimenti pallorē & maciem gignit.

Sanguis abit, mentemq; calor, corpusq; reliquit.

Amantes cur melancholici.

Ex craſſo autem, atro, & arido, qui reſtat, ſanguine, quòd iam purior ſit reſolutus, non modò pallidi, & macri amantes efficiuntur, ſed & plerunque melancholici. Cur autem amantes crebra ſuſpiria emittant, cur etiam extremæ amantium partes modò frigidæ ſint, modò calidæ, Alexander Aphrodiſeus in Problem. docet. Sed vtiliſſimum fore video, omnibusq; gratiſſimum, quos amor ita dies, noctesq; angit, vt penè contabeſcant, remedia tanti mali afferre. Et quidem Plinius lib. 39. capite vlt. notat puluerem, in quo ſe mula volutauerit, corpori inſperſum, mitigare ardores amoris. Et lib. 31. cap. 2. ex Cyzici fonte potantes amorem deponere ex Mutiano refert. Idem ſcribit lib. 28. & 32. amores ſedari hirci vrina admiſto propter faſtidium nardo: item rubeta in corio pecoris recentis alligata. Lucianus ait, ad leuandum amorem omnem ſaltationem prodeſſe. Et Pauſanias refert eos, qui aqua cuiuſdam fontis abluuntur, qui iuxta Selenum flumen eſt, liberari. Idem efficere quaſdam herbas magica arte pollentes, multi prodiderunt, ac eius generis eſſe Scythicam, quam in

Remedia amoris.

Scythica herba

ore

ore habentes nec famem nec sitim sentiunt, amore verò soluuntur. Propertius lib. 1.

Nec mihi consuetos amplexu nutrit amores
Cynthia, nec nostra dulcis in aure sonat.
Inuidiæ fuimus, num me Deus obruit? an quæ
Lecta Prometheis diuidit herba iugis.

Notum est enim ob ignem Ioui surreptum, traditumq; mortalibus, Prometheum religatum in monte Scythiæ Caucaso ad triginta millia annorum, vt ait Æschylus, quò eius iecur aquila dilaniaret, & exederet. Ibi autem frequens herba Scythica hanc vim habere creditur. Ouidius putat transferentes in alios amorem hac cura & solicitudine liberari: ait enim, *Propertij locus explanatus.*

Successore nouo vincitur omnis amor.

Idem sentit hoc versiculo Propertius,

Sunt quoque translato gaudia seruitio.

Virgilius autem hoc incantamentis adscribit his versibus,

Hæc se carminibus promittit soluere mentes
Quas velit, ast alijs duras immittere curas.

Pomponatius in libro de incantationibus, virgam lupi amorem soluere & inducere prodidit. Diogenes Laërt. lib. 6. illud Cratis Thebani commemorat: Amorem sedat fames, sin aliter tempus, & si his vti nequeas, laqueus. Rasis medicus non solùm ieiunio, sed & deambulatione, ebrietate, & coitu amorem curari ratus est. Cardanus autem de Varietate rerum lib. 16. cap. 90. Si stercus (inquit) amatæ in calceum amantis ponatur, vbi primum odorem senserit, soluetur amor: quia odiosa hæc est res. Sed cum amare id propriè dicamur, vt Plato ait, quo indigemus, nec adest, nec habetur, liquet optimum esse amoris remedium, re amata potiri. Nam qui semel rei pulchræ simulacrum animo suo impressit, donec illius potiatur, incredibili flagrat desiderio, & stimulis amoris mirum in modum vexatur. Cæterùm si plenam rei amatæ nanciscatur possessionem, amoris stimulos elidi necesse est: quandoquidem nemo exoptat, quod habet. Quòd si commodè, & honestè id effici nequeat, mihi valdè probatur, quod Paulus Ægineta lib. 3. scribit, vt ad tollendos noxij amoris affectus, ad balnea, compotationem, gestationem, ludos fabulasq; animus adducatur. Quandiu enim ratiocinatio motu illo vehementi, & la-

Cratis Thebani apophthegma.

Amare id dicimur quo indigemus, & abest.

Pauli Æginetæ de remedio amoris sententia.

borioso occupatur, vix abalienari semper animo insidentes hi formæ & pulchritudinis affectus queunt. Ideoq; amantium mens quantum fieri potest, ad varias curas abducenda est, & multis intricanda occupationibus. Præclarè Diogenes apud Laërtium, Amorem ait esse vacantium occupationẽ. & Theophrastus rogatus quid esset amor, respondit, ἔρως πάθος ἐστὶν ψυχῆς σχολαζούσης. id est, Amor est otiosi animi affectus. Subdam hac de re versus Euripidis egregios,

Amor vacantiũ occupatio.

Amor res otiosa.

Ἔρως γὰρ ἀργὸν κἀπὶ τοῖς ἔργοις ἔφη.
Φιλεῖ κάτοπτρα, καὶ κόμης ξανθίσματα,
Φεύγει δὲ μόχθους. ἓν δέ μοι τεκμήριον.
Οὐδεὶς προσαιτῶν βίοτον ἠράσθη βροτῶν,
Ἐν τοῖς δ' ἔχουσιν ἡβητὴς πέφυχ' ὅδε.

Egentes amore non torquẽtur.

Amor otiosa res est, & inutilis ad opera,
Amat specula, & flauas comæ tincturas:
Fugit labores. Argumento mihi est,
Quia nullus mortalium mendicans victum amauit:
Sed locupletes iuuenis Cupido agit.

Itaque Ouidius

Otia, inquit, *si tollas, periere Cupidinis arcus.*

Horatius quoque in Epodis, postquam retulit varias rei rusticæ occupationes, subdit,

Quis non malarum
Quas amor curas habet,
Hæc inter obliuiscitur.

Amor enim, vt Plato notat, per terram, & saxa non vadit, quæ aspera sunt, sed animis hominum mollissimis se infigit. Proinde, si durum offendat animi habitum, aufugiet: sin mollem, illic morabitur. Huc pertinet quod Seneca scribit epist. 70. Quemadmodum ei, qui amorem exuere conatur, euitanda est omnis admonitio dilecti corporis: nihil enim facilius, quàm amor recrudescit: ita qui deponere vult desideria rerum omnium, quarum cupiditate flagrauit, & oculos, & aures ab his, quæ reliquit, auertat. Suidas & Capitolinus memoriæ prodiderunt Faustinam Antonini filiam, & Marci Aurelij vxorem, vsqueadeò gladiatorẽ quendã adamasse, vt in grauissimũ morbũ inciderit. Quod cum Aurelio innotuisset, ex consilio Chaldæorum & medicorum, gladiatorem iussit interimi,

Amor mollissimis animis se infigit.

Faustinæ immẽsus amor.

vt

vt illius sanguine vxori porrecto, tandem cum ea concumberet. sicq; solutum amorem. Quædam nunc mihi succurrunt amoris memorabilia exempla, quæ silentio non prætermittam. Messalina Claudij vxor, vt Dion lib.60.refert, cum Mnesteri histrionis amore flagaret, nec eum posset minis aut pollicitis ad concubitum adducere, hoc commento voti compos facta est: Marito suasit, vt Mnesterum sibi parere iuberet, tanquam alia in re illius indigens. Itaque cum Claudius Mnestero mandasset, vt in omnibus vxori obsequeretur, quasi id quoque iussus Messalinam subagitauit. Iosephus lib. 18. antiq. vim amoris necnon veterum Romanorum prætextu religionis imposturas hoc memorabili exemplo demonstrat. Erat Romæ Paulina mulier pudica, illustris, diues, & formosa, nupta Saturnino viro clarissimo. Huius amore captus est Decius Mundus vir equestris ordinis. & quia maior erat fœmina, quàm quæ posset muneribus corrumpi, eò magis accendebatur amantis insania: ita vt offerret ei pro vna nocte, ducenta drachmarum millia. Sed cùm nec eam flectere posset, nec amoris ferre potentiam, decreuit morbum simul & vitam inedia finire. Quod metuens Ide liberta Mundo pollicetur quinquaginta millibus drachmarum se effecturam, vt Paulinæ complexibus potiatur. Sicq; paululum refocillato iuuene, & accepta pecunia, quam petierat, conuenit aliquot Isidis sacerdotes, cuius cultui sciebat Paulinam addictam. Illis cum exposuisset iuuenis amorem, periculum vitæ illius, & quod meditata fuerat, medendi artificium, offert in præsens vigintiquinque millia drachmarum, ac tantundem, si Mundum voti compotem redderent, re peracta se daturam pollicetur. hi verò omnia lubenter se facturos recipiunt. Quid enim non mortalia pectora cogit auri sacra fames? Itaque extemplò maximus natu eorum ad Paulinam proficiscitur, cui secretò narrat, se missum ab Anubide capto ipsius forma, & iubente vt ad se veniat. Illa gaudio exultans indicat marito, indicat & notis mulieribus indictam sibi cœnam & cubile Anubidis. Nec quisquam tum de ea aliquid suspicatus est sinistri, quòd valde pudica mulier esset. Igitur postridie à sacerdotibus compellata, in templum Isidis non grauatè concessit. vbi post cœnam instante somni tempore,

Messalinæ libido.

Nefarium commentum.

Paulina mulier illustris & formosa.

Mundus amore captus.

Isidis sacerdotes.

Insignis impostura.

Nefariũ facinus

inclusa per sacerdotem tenebris conciliantibus, in latentem ibi Mundum incidit, cuius nocte tota morem gessit voluntati. Itaque reuersa ad maritum priusquam illuxisset, congressum cum Anubide prædicat, ac inter amicas tantam fœlicitatem verbis exaggerat. Cum autē post aliquot dies Mundus ei obuiam factus fuisset, O factum bene, Paulina, inquit, quòd & ducenta millia drachmarum mihi seruasti, quæ tuis poteras facultatibus addere, & morem nihilominus voluntati meæ gesisti. Tum mulier deprehenso primùm flagitio, vestem sibi lacerat, & re marito exposita, obnixè eum deprecatur, ne tam insigne ludibrium atque facinus impunitum sinat. Maritus id Tiberio Imperatori nuntiauit, qui postquam accuratissima inquisitione omnia didicit, & tam insigne patefactum est scelus, sacrificos illos impostores in crucem egit, necnon inuentricem huius sceleris Iden: Mundum verò mitiore pœna exilij castigauit, crimen eius in Cupidinis potentiam referens. His autem, quæ hoc capite descripsimus, nemo in perniciem animi sui abutatur: sed quisque cautionem adhibeat, ne in tantum malum imprudens prolabatur. Quod si qui amantes haud amentes sint, exemplo diui Pauli ad Deum adeant, eum obnixè rogent, vt se tam noxio affectu, tamq; perniciosa mentis agitatione dignetur liberare. Fidelis est Deus, nec vnquam patietur quenquam tentari supra id quod potest. Hortor itaque pios omnes & veros Christianos, vt vanissimum illum prorsus abhorreant amorem,

Sceleris auctores meritis affecti supplicijs.

Pia & Christiana monitio.

-Vnde laboris, vt ille ait,

Plus haurire mali est, quàm ex re decerpere fructus.

Omni autem cura, studio, & diligentia colant, obseruent, & amplexentur salutarem Dei amorem, itemq; proximi. Hic bonos fouebit affectus, hic noxios expellet, hic pacatum animum reddet, ac tandem cultoribus suis vitam æternā parabit.

De tormentis sulphureis, quæ vulgò Bombardæ nuncupantur. CAP. IX.

Tormentorum varia genera.

ETsi veteres permultis tormentis vsi sunt, vt ballistis, scorpionibus, malleolis, pluteis, catapultis, arietibus, aliisq; generis eiusdem, quibus muros & parietes concutiebant, & hostes acriter pro-

pulsabant:

pulsabant: maiorum tamen memoria nouum est quoddam tormenti genus adinuentum, vi cæteris longè præstantius, quod recepto iamdiu vocabulo Bombardam appellamus, eo quòd graues cùm disploditur bombos, id est, sclopos, seu crepitus, emittat, & cum bombo, vt dicitur, ardeat. Huius tormenti vsum in Germania ferunt à Bertholdo Scoartz sectæ monasticæ alumno in Rempublicam inuectum. Cùm enim puluerem ex variis fomitum generibus confectum in os veruecinum immisisset, igni admoto ita hoc displosum est tormentum, vt incredibilem fragorem, & horribiles reboatus confestim ederet, aëremq; caligine repleret. Quod perspiciens ille monachus, facilè huius admirabilis tormenti vim obseruauit. hoc teterrimum est & periculosissimum tormentorum: quod haud dubiè aduersarius noster diabolus in perniciem generis humani machinatus est, & cuidam fortasis improbo & scelerato viro suggesit. Tot enim homines hac ærea machina per vniuersum orbem quotidie interimuntur, &, quod magis dolendum est, probi plerunque ab improbis, Christiani à Turcis & Sarracenis, qui rectius Agarei dicuntur: vt tantum malum non ita pridem in Rempub. perlatum deplorare & detestari omnes iure posimus & debeamus: mederi nullo modo posimus. Vtinam verò Christiani, quibus solis hoc genus tormẽti notum initio fuit, Turcas, Sarracenos, aliosq; à vera pietate & religione alienos acerrimè debellassent. Poterant profectò horribiles illorum strages edere, poterant (prò dolor) nimiùm propagatos Turcarum fines coangustare: quod nunc humanis viribus vix effici potest. At æreis tormentis varia indita sunt nomina: vt Artiliariæ, Canonum, Lusciniæ, Amazonæ, Quartanæ, Pistoleti: Item alia à variis serpentum generibus ducta, vt Colubrinæ, Salamandræ, Crocodili, & Basilisci. Alia etiam quotidie imponuntur, prout nouatio formæ postulat. Puluis autem qui his tormentis immittitur, ex carbone salicis, nitro, sulphure, lotio, & aqua vitis, quam vocant, confici solet. Quæ igni admoto, cum ex fissili machina cum glande erumpunt, grauisimos sclopos, instar Iouis è cælo tonantis, emittunt. Sunt tamen hodie, qui ita hùc puluerem conficiant, vt ex eruptione illius nec solitus crepitus reddatur, nec vllum murmur fiat. Vnde apparet

Auctor sulphurei tormenti.

Bombarda tormentum teterrimum.

Sarraceni rectius Agarei dicuntur.

Bombardæ primum Christianis cognitæ.

Quibus ex rebus puluis bombardarum conficiatur.

apparet Bombardas Latinè dici posse fissiles machinas, sulphureos sclopos, & æreа, necnon pulverea tormenta, quæ priscis hominibus prorsus incognita fuerunt. Longè igitur opinione falluntur, qui hoc genus tormenti Virgilium lib. 6. Æneid. significare putant, cùm ait,

Sulphurea tormẽta ueteribus incognita.

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iouis, & sonitus imitatur Olympi.
Quattuor hic inuectus equis, & lampada quassans
Per Graiûm populos, mediæq; per Elidis vrbem
Ibat ouans: diuumq; sibi poscebat honorem
Demens: qui nimbos & non imitabile fulmen
Aere & cornipedum cursu simularat equorum.

Virgilij locus declaratus.

Significat autem fulmine ictum Salmonea Aeoli filium: quòd apud Elidem, in qua Iupiter religiosè colebatur, fabricato ponte æreo ad imitanda Iouis tonitrua, super eum currus agitaret: & in quos facem fuisset iaculatus, eos iuberet confestim occidi, quemadmodum Seruius notat. Ergo fissilis illa machina, quæ cum eruptione glandis & accensi pulueris terribiles edit bombos, non vetus est, sed recens inuentum, quo primùm vsi sunt Veneti aduersus Genuenses. Nunc verò cum hoc genere tormenti strenui quiq; milites ab ignauis passim trucidentur, verissimè dici potest, quod Archidamus Agesilao dixisse fertur, cùm catapultæ iaculum ex Sicilia aduectum fuisset: O Hercules, viri periit virtus.

Veneti primum Bombardis usi.

De superfœtatione. CAP. X.

MVlierem grauidam amplius grauidam effici non posse, multi falsò sibi persuaserunt. Nanq; Hippocrates librum de superfœtatione conscripsit, ac quemadmodum superfœtationes fiant, lib. 1. de diet. seu victus ratione, docet. Plinius quoque lib. 7. cap. 11. Præter mulierem, inquit, pauca animalia coitum nouere grauida: vnum quidem omnino aut alterum superfœtat. Cur autem Deus mulieres grauidas admittere ad concubitum mares voluerit, rationem Lactantius affert lib. 6. cap. 23. Nec ob aliam, inquit, causam Deus, cùm cæteras animantes suscepto fœtu, maribus repugnare voluisset, solam omnium

Cur Deus mulierem grauidã uiri patientem esse uoluerit.

omnium mulierem patientem viri fecit, ſcilicet ne fœminis repugnantibus, libido cogeret viros aliud appetere, eoq; facto caſtitatis gloriam non tenerent. Sed neq; mulier virtutem pudicitiæ caperet, ſi peccare non poſſet. Nam quis mutum animal pudicum eſſe dixerit, quod ſuſcepto fœtu mari repugnat? Nulla igitur laus eſt, non facere, quod facere non poſsis. Ideo autem pudicitia in homine laudatur, quia non naturalis eſt, ſed voluntaria. Ariſtoteles cap. 4. libri 7. de hiſtor. anim. Mulier, inquit, & equa omnium maximè animalium grauidę coitum patiuntur: cætera vbi grauida fuerint, fugiunt mares, ea ſcilicet, quorum natura ſuperfœtare more leporis recuſat: verùm equa nunquàm ſuperfœtat, ſed magna ex parte vnum tantummoodo generat. At verò in muliere raró quidem euenit, vt ſuperfœtet: ſed factum tamen aliquando eſt. Si enim proximè à primo conceptu ſecundus ſit factus, abſolui, ediq; poteſt, quod ſuperfœtarit, vt quaſi gemini naſci videantur: quomodo Herculem & Iphiclem procreatos eſſe fabulantur. Nam etiam conſtitit in adultera quadam, quæ alterum ſuo marito, alterum adultero ſimilem peperit. Idem obſeruatum eſt in Proconeſia ancilla, quæ eiuſdem diei coitu alterum domino, alterum procuratori ſimilem genuit, vt Plinius eſt auctor lib. 7. cap. 11. Quin Ariſtoteles lib. 4. de generat. animal. cap. 5. ita ſcribit: Animalium quæ vno partu plures fœtus edunt, & magnitudine prædita ſunt, vt homo, ſi alter coitus proximè ab altero acceſſit, enutrire quod ſuperfœtatum eſt, poſſunt. Iam enim id eueniſſe viſum eſt. cuius rei cauſa id eſt, quod diximus. Eodem enim coitu plus ſeminis mittitur, quod partitũ multiplicare conceptum poteſt, ſi alterum poſt alterum accedit. Sed ſi iam aucto conceptu coitus adhibetur, ſuperfœtari quidem poteſt, ſed raró: quoniam vterus magna ex parte ad partum vſque ſe comprimit. Si tamen aliquando accidit vt ſuperfœtetur (iam enim id eueniſſe conſtat) perfici non poteſt, ſed conceptus abiguntur, ſimiles iis, quos abortus vocamus. hæc Ariſt. Ego autem ex poſteriore conceptu, qui adaucto iam priore adhibetur, vitalem partũ edi poſſe cẽſeo. Plinius enim lib. 7. hiſtor. natur. refert mulierem quandam ſeptem menſium edito puerperio, inſecutis aliquot mẽſibus, geminos enixam. Paulus quoque Iureconſultus ſcribit tit.

Hercules & Iphicles eodem partu editi.

Adultera unum marito alterum procuratori ſimilem eodem partu edidit.

Ariſtotelis exploſa ſententia.

Ex ſecũdo conceptu poſt aliquot menſes facto uitales partus naſcuntur.

Si pars hæred. pet. mulierem ab Alexandria perductam, vt diuo Hadriano ostenderetur cum quinque liberis, ex quibus quatuor eodem tempore enixa dicebatur, quintum post quadragesimum diem. Hanc sententiam Plautus confirmat in Amphitruone, vbi sic affatur Mercurius,

Hodie illa pariet filios geminos duos:
Alter decumo post mense nascetur puer,
Quam seminatu'st: alter mense septimo.
Eorum Amphitruonis alter est, alter Iouis.

Ex quibus perspicuum est, quanuis statim à primo coitu denuò mulier non concipiat, sed demum mensibus aliquot interiectis: vitales nihilominus partus ex posteriore conceptu nasci. Hæc autem perspecta fuisse non videntur Iuliæ Augusti filiæ, quę pleno tantum vtero procis sui corporis copiam faciebat, ne ex alio liberos gigneret, quàm ex marito. Sic enim de ea Macrobius lib. 2. Saturnal. cap. 5. Cumq; conscij flagitiorum mirarentur, quomodo similes Agrippæ filios procrearet, quæ tam vulgo potestatem corporis sui faceret, ait: Nunquàm enim nisi naui plena tollo vectorem.

Iulia Augusti filia.
Adulteræ astutia, ut marito similes filios gigneret.

Quot nasci vno partu possint. & hinc explicata l. antiqui. D. si pars hæredit. pet. CAP. XI.

His, quæ superiori capite dicta sunt, consequens est plures eodem partu nasci posse. Plinius lib. 7. cap. 3. Tergeminos nasci certum Horatiorum Curatiorumq; exemplo. Idem Paulus Iurec. scribit sub tit. Si pars hæred. Sed & geminos, inquit, senatores cinctos vidimus Horatios. Cinctos, id est, equestris ordinis insignibus ornatos. Qui enim iurati in eum ordinem cooptabantur, balteo cingi solebant: hoc est, zona bullata, aureis've quadrangulis supra corium contexta. Sed vereor, ne imprudenter Paulus scripserit, se tergeminos Horatios vidisse: quandoquidem sub Tullo fuerunt: Paulus autem sub Alexandro Seuero, qui eum magno in honore habuit, vt Lampridius est auctor. De aliis tamen Horatiis intelligi is locus potest: præsertim cùm variè legatur: alij enim Cinctios oratores, alii Cinctios Horatios, alij aliter legunt. Sed vt eò regrediamur, vnde

Cincti dicuntur equestri militia exornati.
Balteus.
Pauli Lapsus.
Paulum magno in honore Alexander habuit.

vnde diuertimus, Capitolinus in Antonino Pio refert, vno partu mulieris quinque pueros editos. ac Plinius etiam lib. 7. cap. 3. Reperitur, inquit, & in Peloponneso quinos quater enixa, maioremq; partem ex omni eius vixisse partu. Et in Ægypto septenos vno vtero simul gigni auctor est Trogus. Paulus autem hunc locum referens D. si pars hæreditatis pet. ait, non leues auctores prodidisse, quinquies quaternos enixam Peloponnesiam & multas Ægypti vno partu septenos. Itaque mendosus est alteruter locus, Pauli scilicet aut Plinij: cùm hic dicat quinquies quaternos, ille quinos quater. Sed instituto sermoni congruentes aliorum locos proferamus. Sic autem Gellius lib. 10. cap. 2. de multiplici fœtu scribit: Aristoteles philosophus memoriæ tradidit mulierem in Ægypto quinque pueros enixam, eumq; finem esse multijugæ hominum partionis, neque plures vnquam simul genitos. Idem subdit: Sed & diuo Augusto imperante, qui temporum eius historiam scripserunt, ancillam Cæsaris Augusti in agro Laurente peperisse quinq; liberos dicunt. Suffragatur Caius cap. 8. de reb. dub. ait enim sua ætate Serapiam Alexandrinam ad diuum Augustum perductam cum quinque liberis, quos vno fœtu enixa fuerat. Quin etiam Iulianus cap. 36. de solut. Nam & Aristoteles, inquit, quinque nasci posse testatur: quia vuluæ mulierum totidem receptacula habere possunt: & esse mulierem Romæ Alexandrinam ex Aegypto, quæ quinque simul peperit, & tamen habebat eos incolumes. At Paulus cap. 3. D. si pars hæred. petat. ex Aelio refert, mulierem illam Alexandrinam ex quinque liberis, quos incolumes habebat, quatuor eodem tempore enixam, & quintum post quadragesimum diem: vt propterea inter se collidi hæc consultorum responsa videantur. Verùm Caius de alia muliere loquitur, quàm Aelius apud Paulum: vel fœtum fortasis pro vtero vsurpauit. Iulianus autem cùm de numero liberorum duntaxat ageret, à Paulo memoratæ intercapedinis non meminit, quòd à proposito id alienum videretur. Et quidem cùm posteriore partu vnus, priore quatuor editi fuissent, ad maiorem partem sermo accõmodandus fuit. Sed quomodo plures eodem in vtero gignantur, non satis inter veteres philosophos constat. Empedocles quemadmodum Plutarch. scribit lib. 5.

Quinque pueri uno partu editi.

In Aegypto septeni uno utero gignuntur.

Serapia Alexãdrina.

Conciliatio antinomiæ.

Quomodo plures in eodẽ utero gignantur.

de placit. philosoph. Id fieri dicebat exuperante, scissili've semine. Asclepiades propter seminum præstantiam, non aliter quàm hordeaceas spicas binis trinis've granorum ordinibus constantes. Erasistratus propter superfœtationem, quomodo & in brutis animalibus Stoici propter vuluæ loculamenta, cum in primum & secundum inciderit semen: tunc enim superfœtari, & nonnunquam geminos ac tergeminos gigni dicunt. Quæ sententia etiam Aristotelis fuit. Is enim ratus est quinque, non etiam plures generari posse, quòd tot solummodo sint vuluæ mulieris receptacula. Sed Aristoteles & Stoici hoc loco hallucinantur, aut ego vehementer cæcutio. Nam etsi tribus membranis singuli fœtus obtegantur, vuluæ tamen nulla prorsus loculamenta sunt, vt re ipsa nobis compertum est, & adhuc comprobari experimento potest. Illud itaque non approbo, quod Aristoteles prodidit, plures quàm quinque non posse generari. Etenim in Aegypto ob fœcundum potum Nili vno vtero septem generantur. ac Plinius lib. 7. cap. 11. scribit, extare in monumentis medicorum, quibus talia consectari curæ fuit, vno abortu XII. puerperia egesta. Quin Cælius Rhodiginus lib. 4. cap. 23. ex Alberto refert mulierem quandam formatis iam duorum & viginti infantium corpusculis, abortum in Germania fecisse. Baptista etiam Fulgosius memoriæ tradidit, Margaritam Olandæ comitem, qua parte Rhenus illabitur Oceano, cùm Germanis Henricus Buceburgensis imperaret, vno partu trecentos & sexaginta filios viuos edidisse, qui demum lustrali aqua fuerunt expiati.

Arist. & Stoicorum reiecta opinio.

Plures quàm quinque posse generari.

XII. fœtus uno abortu egesti.

Abortus XXII. infantium.

Quòd multa eadem vi & actione contrarios effectus producant. CAP. XII.

INter mira naturæ opera, quorum contemplatio etiam Ethnicos ad Dei magni & præpotentis agnitionem trahit, ea iure recenseri possunt, quæ postea suggeram, vt eorum prorsus euellatur error, qui iisdem ex rebus, eadem vi & actione, contrarios effectus induci non posse affirmant. Ignis suapte natura lucidus, res, quas amplectitur, colorat: idem rebus innatum

Ignis cõtrarios effectus producit.

natum, vel extrinsecus accersitum colorem aufert. Sed & adusta quæque teterrima reddit, cum ex pruinis nigerrimos carbones efficiat: contrà lapides in calcem deducit, hoc est, res tetras in colorem candidum: licet rubeat magis, quàm candeat. Ecce igitur miram ignis efficacitatem: cum effectus tam varios, diuersos, atque adeò contrarios producat. Quid memorem præstantissimum planetarum Solem, qui eadem vi & actione ceram emollit, & terram indurat? Rursus hominem nigrum reddit, linum autem nitro aut salsugine infectum candidum? Non minus mira palearum vis mihi videtur, quæ etsi calidæ sunt, niues nihilominus diutissimè seruant: è contrario mala præcocia maturant. Quin venena lethum mortalibus inferunt: eadem si appositè pharmacis adhibeantur, morbos etiam grauissimos curant. Quæ cùm vulgò nota sint, & omnibus naturæ speculatoribus re ipsa comperta, indigere approbationis non videntur. Quocirca veratrum, vt Democritus ad Hippocratem scribit, sanis datum menti offundit tenebras: insanis verò multum prodesse solet. Est in Epiro, vt inquit Mela lib. 2. cap. 3. fons ideò sacer, quòd cùm sit frigidus, & immersas faces, sicut cæteri, extinguat, vbi sine igne procul admouentur, incendit. Explodenda est igitur illorum opinatio, qui eadem ex re cōtrarios effectus produci posse negāt.

Sol ceram emollit, & limum indurat.

Veratrum sanis obest & insanis prodest.

Fons qui ardentes faces extinguit, & alias incendit.

Quomodo occurratur ebrietati. CAP. XIII.

Vinum ne turbet animos, variè effici potest. Aristoteles in lib. Temulentiæ, vt Athenæus refert, vinum coctum minus ebrios facere bibentes prodidit: quòd tunc debilior sit illius vis, atq; ideo minus caput tentet. Plutarchus & Athenæus scribūt amaras amygdalas ebrietati occurrere, vt pridem compertum hoc modo fuit. Inter Drusi familiares, qui Tiberij Cęsaris filius erat, medicus cæteros bibendi gloria antecellens, ante potum vitandæ ebrietatis causa, quinas, senas've amaras amygdalas deuorabat. Quoties verò prohibitus aut interpellatus diligenti obseruatione non assumpsisset, statim in temulentiā incidebat. Vnde obseruatum est temulentiæ amaris amygdalis occurri. Eam rationem Plutarchus affert, quòd amaræ amygdalæ

Vinum coctum minus inebriat.

Medicus potator insignis.

Amaræ amygdalæ ebrietati occurrunt.

gdalæ exsiccandi vim habent, ideoq; humores absumunt. Addit & illud, inter succos amarum gustu difficillimum, quòd venulas linguæ molles atque fungosas, absumptis humoribus præter naturam astringat amaritudo. Itaque si vulpes amaras amygdalas cum esca vorarint, nisi superbibāt, confestim emoriuntur, vt Plinius ait lib. 23. cap. 8. & Dioscorides lib. 1. cap. 139. deficientibus scilicet humoribus. Cramben brassicæ genus Cato de re rustica scribit ebrietati occurrere, si quidem cruda ex aceto ante cœnam sumatur: sin posteà, crapulam discutere. quod & Dioscorides obseruauit lib. 2. cap. 112. & Plinius lib. 20. cap. 9. & Theophrastus de histor. plantar. lib. 4. cap. 20. Quamobrem conuiuijs olim adhiberi solebat, vt Suidas est auctor. Galenus prodidit lib. 2. de composit. medicam. secund. loc. folia brassicæ aqua calida madefacta, & capiti circunligata ebrietatem arcere. Est enim summa, vt Plinius, Galenus, & Theophrastus aiunt, inter vitem, & brassicam ἀντιπάθεια: adeò vt si simul implantentur, vna crescente altera inarescat. Dionysias gemma ebrietati etiam resistere creditur: item porrum, crocum, pulmo apri, ouis, aut suis assus, necnon genus quoddam Iaspidis.

Amara cur gustu difficilia.

Vulpes amaris amygdales enecantur.

Crambe conuiuijs olim adhibita.

Braßica uitibus inimica.

Ebrietatis uaria remedia.

De Pygmæis. CAP. XIIII.

PYgmæi, vt Eustathius scribit, extrema in parte Ægypti degunt, agriculturam exercentes: ac sæpe cum gruibus digladiantur, quòd fruges sublegant, quibus ipsi aluntur. Sed præstat de his sic loquentem audire lib. 3. Iliad.

Αὐτὰρ ἐπεὶ κόσμηθεν ἅμ' ἡγεμόνεσσιν ἕκαστοι,
Τρῶες μὲν κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τ' ἴσαν ὄρνιθες ὥς.
Ἠΰτε περ κλαγγὴ γεράνων πέλει οὐρανόθι πρὸ,
Αἵ τ' ἐπεὶ οὖν χειμῶνα φυγὸν, καὶ ἀθέσφατον ὄμβρον,
Κλαγγῇ ταί γε πέτονται ἐπ' ὠκεανοῖο ῥοάων,
Ἀνδράσι πυγμαίοισι φόνον, καὶ κῆρα φέρουσαι.

At postquam instructi sunt simul cum ducibus,
Troiani quidem & clangore, & voce ibant velut aues.
Veluti clangor gruum est in aëre supra,
Quæ postquam hyemem effugerunt, et immensum imbrem,

Homerus Pygmæorũ meminit, & belli, quod gerere cũ gruibus dicũtur

Clang

Clangore quidem istæ volant ad Oceani fluxus
Viris Pygmæis cædem, & mortem afferentes.

Apertius rem mihi videtur exponere his versibus Iuuenalis satyra 13.

Ad subitas Thracum volucres, nubemq; sonoram
Pygmæus paruis currit bellator in armis,
Mox impar hosti, raptusq; per aëra curuis
Vnguibus à sæua fertur Grue: si videas hoc
Gentibus in nostris, risu quatiere: sed illic
Quanquam eadem assiduè spectentur prælia, ridet
Nemo, vbi tota cohors pede non est altior vno.

Pygmæorum cum gruibus certamen.

Sic bellè Iuuenalis dirum illud & lethale bellum descripsit, quod Pygmæi cum gruibus gerunt. Eius quoque rei Aristoteles meminit lib. 8. de historia Animal. cap. 12. Grues (inquit) ex Scythicis campis ad paludes Ægypto superiores, vnde Nilus profluit, veniunt. quo in loco pugnare cum Pygmæis dicuntur. Non enim id fabula est: sed certè genus tum hominũ, tum equorum pusillum, vt dicitur. Illud multi de Pygmæis tradunt, eorum longissimos duos pedes & quadrantem non excedere, fæminas anno quinto parere, octauo steriles effici, quòd nec diutius viuant. Et sanè Pygmæos perexiguos esse satis eorum nomen indicat, quod ἀπὸ τοῦ πυγμῶνος deducitur, id est, à cubito. Plinius lib. 7. cap. 2. cùm de Astromorum gente disseruit, quæ solo odore naribus tracto viuere creditur, super hos subdit, suprema in parte montium Spithamæi Pygmæi narrantur, ternas spithamas longitudine, hoc est, ternos dodrantes non excedentes, salubri cælo, semperq; vernantes, montibus ab Aquilone oppositis: quos à gruibus infestari Homerus quoque prodidit. Fama est, insidentes arietũ caprarumq; dorsis, armatos sagittis Veris tempore vniuerso agmine ad mare descendere, & oua, pullosq; earum alitum consumere: ternis eam expeditionem mensibus confici, aliter futuris gregibus non resisti. Casas eorum luto, pennisq;, & ouorum putaminibus construi. Aristoteles in cauernis viuere Pygmæos tradit. Cætera de his vt reliqui. Solinus cap. 55. de India loquens, Pygmæi (inquit) montana tenẽt. & paulò pòst, Perhibent esse & gentem fæminarum, quæ quinquennes concipiunt, sed vltra octauum annum viuendi spatium non protrahunt

Aristot. de Pygmæis sentẽtia.

Pygmæorum etymologia.

Astromorum gens.

Pygmæi armati oua & pullos gruum consumunt.

trahunt. Sed hæc commentitia esse firmissimis argumentis euincam. Primùm Solinus & quidam alij Pygmæos locant in montibus Indiæ, alij in extrema parte Africæ, alij in Ægypto, quæ in Africa quidem est, sed non in extrema: alij denique in alijs orbis partibus Pygmæos degere arbitrantur. Quamobrem tam variæ, tamq; discrepantes de patria Pygmæorum sententiæ valde suspectum reddunt, quod de illis vulgò circunfertur, & multorum mandatum est literis. Accedit, quòd nullus oculatus testis tam exiguæ gentis proferatur: sed incredibilia de Pygmæis narrentur: quale est illud apud Philostratum in Imaginibus, Antęo ab Hercule interempto Pygmæos, vt fratris mortem vlciscerentur, consilio inito irruisse in Herculem, ac fratrem Antæum existimasse: quòd tam Pygmæi, quàm Antæus terra editi crederentur: id est, obscuro, ignotoq; genere. Nam, vt Tertullianus cap. 11. Apologet. scribit, terræ filij vocantur, quorum genus incertum est. Illud vrget vehementer, quòd si qua sit gens Pygmæorum, qui octo duntaxat annos viuant, necesse est quosdam finitimos populos esse, qui quindecim, quosdam qui viginti, & quosdam qui triginta circiter annos viuant. quod tamen nusquam est relatum nec fando auditum. Illud etiam vrget, quòd si Pygmæi sint, quorum vitæ spatium octo annis terminetur, fieri non potest, vt tam breui vitæ interstitio vsus rationis participes reddantur: proinde nec homines dici poterunt. Quin gentem Pygmæorum breui interire necesse esset, quòd ad gignendum ob pueritiam, & senectutem, necessariamq; nouem mensium vteri gestationem, præterquàm bis aut ter ad summum, nihil prorsus temporis reliquum haberent. Præsertim cùm multi etiam inter nos, generationis sint prorsus expertes. Rectè igitur Strabo lib. 15. Geographiæ, historiam Pygmæorum fabulis annumerat. & lib. 2. scribit Hesiodum & semicanes, & Pygmæos homines commentum. & rursum eodem in lib. vniuersos Indiæ scriptores sæpius falsa locutos. Proinde Demarcho, & Megastheni fidem abrogandam, quòd dixerint esse homines sine naribus, item vnoculos, & tibijs proceres, & digitis retrò inuersis: innouarint etiam Pygmæorum aduersus grues decantata pridem ab Homero prælia. Albertus tamen Pygmæos esse affirmat, qui homines non sint, sed monstra quædam

Pygmæorũ gentem nõ esse, multis argumentis comprobatum.

Variæ de patria pygmæorũ opiniones.

Terræ filij.

Si Pygmæi sint usus rationis participes esse nequeunt.

Multi generationis expertes.

Homines sine naribus, item unoculi.

quædam hominibus similia quam sententiã confirmare videtur, quod à multis accepi ante annos plus minus triginta duo Tolosam nostram Pygmæorum cadauera allata, quæ etsi perexigua essent, formam tamen vtriusque sexus habebãt. Nec id mirum cuiquam videri debet, cum radix herbæ, quæ centumcapita dicitur, alterutrius sexus similitudinem referat, vt Plinius ait lib. 22. Item radix mandragoræ, de qua insequentes extant apud Columellam versus,

Albertus Pygmæos monstra quædam esse putat.

Duo Pygmæi Tolosam allati.

Centum capita.

Radix mandragoræ humanam effigiẽ præfert.

Quamuis semihominis vesano gramine fœta
Mandragora pariat flores, mœstamq; cicutam.

Sunt & pisces hominum formam in superiori corporis parte habentes, vt Sirenæ: sunt & terrestria quædam animalia, vt Satyri, & Hippocentauri. Diuus enim Hieronymus in Epistolis est auctor ab Antonio Heremita repertum hominem equo mistum, cui opinio Poëtarum Centauri vocabulum indidit. Et Plinius lib. 7. cap. 3. Claudium Cæsarem literis prodidisse scribit, Hippocentaurum in Thessalia natum eodem die interiisse: ac eius principatu se Hippocentaurum vidisse testatur ex Ægypto in melle allatum. Ego itaque, vt liberè dicam quod sentio, inficiari nolo quosdam pumiliones esse, sicut & quosdam Gigantes fuisse certum est: at quandam esse Pygmæorum gentem, quæ rationis sit particeps, cùm ἀδύνατῶς sit, tum omni asseueratione falsum esse confirmo.

Pumiliones quosdã esse, non etiam gentem Pygmæorum.

De Salamandra, & quàm grauiter fallantur, qui eam ignibus absumi negant. CAP. XV.

SAlamandra lacerti genus est, varium, vt ait Dioscorides, seu stellatum, vt Plinius scribit, quod nunquàm, nisi æstiuo tempore post multam pluuiam videtur. Hanc Aristoteles, cui vulgus omne consentit, igne absumi negat. Idemq; rati sunt Nicãder in Alexiphar. Plinius lib. 10. cap. 67. & Ælianus in hist. Animal. Aiunt enim vim frigidissimam hoc animal habere, & ideo tactum ignem perinde ac glaciem extinguere. Atqui sicut falsum est Salamandram igne non lædi, ita vis frigidissima falsò ei tribuitur. Nam Dioscoride & Galeno auctoribus, vim & potestatem exedendi habet: item calefaciendi, & exulce-

Salamãdræ descriptio.

Vulgus Salamãdram igne absumi negat.

Reiectus uulgaris error.

Vis Salamãdræ.

Salamãdra densam & inguẽ cutim habet.

Λιπόῤῥινος.

randi. Itaque si qua paulisper illæsa in igne versetur, id propter cutis densitatem eueniet: aut quia perpetuo humore madeat, quo absumpto, necesse est eam ignibus absumi. Ideo enim à Nicandro λιπόῤῥινος nuncupatur, quasi pinguem cutim habens: λίπος enim pinguedinem, & ῥῖνος pellem significat. Rectè igitur Dioscorides lib. 2. scribit, falsò creditum esse Salamandram ignibus non vri. Et Plinius lib. 29. cap. 4. Si id esset verum, iam expertam fuisse Romam. Galenus quoque lib. 3. de Temperamentis, ait Salamandram breui quidem intercapedine nihil ab igne pati: sed si longiore spatio ei admoueatur, proculdubio comburi. Alioqui perperam, & imperitè Galenus lib. 11. de simplic. medic. facult. & in lib. de composit. medicam. Paulus Ægineta lib. 7. cap. 3. Cornelius Celsus, & alij in rebus medicis cineres vstæ Salamandræ commendarent ad abigendam lepram & scabiem, necnon ad efficiendũ, ne euulsi pili renascantur. Habent enim, quemadmodum ijdem auctores tradidere, exedendi, & adurendi vim. Quæ omnia satis detegunt insignem illorum hallucinationem, qui Salamandram tum igne non vri, tum flammis ali, prauè, & inscienter prodiderunt.

Cineres Salamandræ curant lepram & scabiem.

Quàm ampla & magnifica fuerit domini apud veteres appellatio. CAP. XVI.

VEteres suos nominibus obuios salutabant: ac cum illud non succurreret, quemadmodum Seneca libro 1. epist. scribit, eos dominos vocabant. Martialis,

Cùm te non nossem, dominum, regemq; vocabã.

Superba domini appellatio.

At hoc nomẽ existimatum est quibusdã temporibus tam amplũ, magnificũ, atq; superbum, eo vt appellari Romanorũ principes recusarint, quod indicio esset reliquos seruos esse. Ideo Augustus, cum esset aliquando dominus à populo nominatus, non solùm vetuit, ne quis ipsum hoc nomine compellaret, sed etiam summopere cauit, vt Dion Coccius est auctor lib. 55. & Suetonius in Augusto. Vnde Tertullianus in Apologet. Augustus (inquit) Imperij formator, ne dominum quidem se dici volebat. hoc enim Dei est cognomen. Dicam planè

Augustus noluit à populo dominus nuncupari.

nè Imperatorem Dominum, sed more communi. Sed quando non cogor, vt Dominum vice Dei dicam. Cæterum liber sum illi: Dominus enim meus vnus est Deus omnipotens, æternus, idem qui & ipsius, qui pater patriæ est, quomodo Dominus est. Hæc Tertul. Tiberius quoque Cæsar, vt Tacitus lib. 2. scribit, acerbè increpuit eos, qui ipsum Dominum dixerant. Quin Alexander Seuerus, auctore Lampridio, se Dominum appellari vetuit, quòd nimis ampla & magnifica Domini appellatio videretur. Huc pertinent insequentes Palladæ versus, quibus significat se nolle Dominum appellari, quòd nihil dare assentatoribus posset: & alludit à verbo δόμεναι, ad nomen δόμινε.

Tiberius acerbè increpuit eos, qui ipsum dominũ dixerã

Ἢν ὁ φίλος τι λάβῃ, δόμινε φράτερ εὐθὺς ἔγραψεν,
　　Ἢν δ' αὖ μήτι λάβῃ, τὸ φράτερ εἶπε μόνον.
Ὤνια γὰρ καὶ ταῦτα τὰ ῥήματα, αὐτὰρ ἔγωγε
　　Οὐγ' ἐθέλω δόμινε, οὐ γὰρ ἔχω δόμεναι.

Si quid amicus largitur, protinus eum Dominum fratrem vocat.
Si nihil det, fratrem tantùm dicit.
Hæc enim voces venales sunt. ast ego
Qui nihil habeo quod dem, dominus vocari nolo.

Claudius Cæsar, auctore Tranquillo, vt tacita assentatione vulgi fauorem aucuparetur, sæpe hortando, rogandoq; ad hilaritatem homines prouocabat, dominos identidem appellans, immistis interdum, & accersitis iocis. Sed quidam Romani Principes sic auidè illam appellationem arripuerunt, vt Domitianus exemplo Caligulæ se Dominum Deumq; appellari iusserit, quemadmodum Suetonius, Eusebius, Sextus Aurelius, Eutropius, & alij multi literis tradiderunt. Nos Galli Regem nostrum Græco vocabulo κύρι appellamus, κ vt σ, proferentes: Delphinum verò, id est, Regis proximum hęredem, dictione Gallica Dominum significante.

Domitianus exẽplo Caligulæ se dominum deumq; appellari iussit.

De mirabili Pentapoleos interitu, eiusq; apparentibus vestigijs. CAP. XVII.

VEhementer quibuſdam ætatis noſtræ hominibus ſuccenſeo, qui adeò veſanæ & ſceleratæ mentis ſunt, vt nullas ſuorum maleficiorum pœnas pertimeſcant: quòd in animum ſuum multis, grauibusq; rerum humanarum curis obrutum, & nefarijs ſceleribus inquinatum nec ea quidem inducere queant, quę ſacris literis deyltione diuina delictorum continentur. Audiant igitur illi ex Solomone, audiant ex Tacito, Strabone, & alijs non dubiæ fidei auctoribus, quænam etiamnum extent momento abſumptæ ob neſandam libidinem celebris Pentapoleos veſtigia: vt qui Dei & virtutis amore aut iudiciorum metu à ſceleribus non auocantur, diuinæ ſaltem vltionis formidine ab illis deterreantur. Solomon Sap.10. Sapientia diuina iuſtum à pereuntibus impijs liberauit fugientem, deſcendente igne in Pentapolim, quibus in teſtimonium nequitiæ conſtat fumigabunda deſerta terra, & incerto tempore fructus habētes arbores, & incredibilis animæ memoria ſtans figmentum ſalis. Pentapolis ea regio appellatur, quòd quinque conſtaret ciuitatibus: nimirum Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim, & Segor. Sed cùm igni, & ſulphure ob nefarias hominū libidines plueret, propter Lot exigua ciuitas Segor conſeruata fuit, vt Geneſ. 19. cap. dicitur. Solinus cap. 38. Longo (inquit) ab Hieroſolymis receſſu triſtis ſinus panditur, quem de cælo tactum teſtatur humus nigra, & in cinerem ſoluta. Duo ibi oppida, Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorum. Apud quæ pomum gignitur, quod habeat ſpeciem licet maturitatis, mandi tamen non poteſt. Nam fuliginem intrinſecus fauillaceam ambitio tantùm extimæ cutis cohibet, quæ vel leui tactu preſſa, fumum exhalat, & fatiſcit in vagum puluerem. Iuſtinus de Iudæa loquens lib. 36. In ea, inquit, regione latus lacus eſt, qui propter magnitudinem, & aquæ immobilitatem, mortuum mare dicitur. Nam neque ventis mouetur, reſiſtente turbinibus bitumine, quo aqua omnis ſtagnatur: neque nauigationis patiens eſt, quoniam omnia vita carentia in profundum merguntur: nec materiam vllam ſuſtinet, niſi quæ alumine illinatur. Strabo auctor eſt lib. 16. Geograph. Sirbonis lacum hunc locum appellari, & igneam regionem eſſe. Nam petras, inquit, aſperas & exuſtas circa Moaſadas habet,

Pentapolis momēto abſumpta.

Nomina ciuitatū Pentapoleos.

Segor propter Lot cōſeruata.

Solinus Pentapolim triſtem ſinum uocat.

Strabonis de Sodoma & eius lacu opinio.

& multis in terris prærupta, & terram cinerulentam, & picis guttas ex petris distillantes, & flumina fœtido odore efferuentia, & habitationes passim euersas: quòd eo loco tredecim vrbes olim habitabantur, quarum metropolis Sodoma adhuc sexaginta stadiorum ambitum seruet: & quod ex terræ motibus, & ignis afflatu, & aquis calidis, & sulphureis lacus erupperit, & quòd petræ igniferæ factæ sint, & vrbium aliæ absorptæ, aliæ ab iis, qui aufugerunt, derelictæ. Cæcutit admodum hoc Strabo. At id mirum cuiquam videri non debet: quandoquidem causa & ratio illum prorsus latebant, admirabilis interitus Pentapoleos. Quod & in Tacito obseruauimus: sic enim eadem de re lib. 21. scribit, Iordanes vnũ atq; alterum lacũ integer perfluit: tertio retinetur. Lacus immenso ambitu specie maris, sapore corruptior, grauitate odoris accolis pestifer, neque vento impellitur, neq; pisces aut suetas aquis volucres patitur. incertum vnde. Superiecta vt solido feruntur, periti, imperitiq; nandi, perinde attolluntur. Et paulo post, Haud procul inde campi, quos ferunt olim vberes, magnisq; vrbibus habitatos, fulminũ iactu arsisse: & manere vestigia, terramq; specie torridam vim frugiferam perdidisse. Nam cuncta sponte edita, aut manu sata, siue herba tenus aut flore, seu solitam in speciem adoleuere, atra & inania velut in cinerem euanescunt. Ergo sicut Iudaïcas quondam vrbes igne cælesti flagrasse concesserim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi supersusum spiritum eoq; fœtus segetum & autumni putrescere reor, solo cæloq; iuxta graui. Licet autem ethnici auctores in his rebus à Deo præter naturam mirabiliter factis, omnino inter se non conueniant: illud tamen ex illis constat, & arsisse Pentapolim, & casu quodam admirabili concidisse, eiusq; rei apertissima vestigia etiamnum extare. Hũc ergo animum aduertãt Luciani illi & Epicuri, qui totam Rempubl. Christianam suis sceleribus & impietatibus turbãt. Caueant autem ij verbo tenus Christiani, ne ob sceleratam hypocrisim, Simoniacum ambitum, illicitam fœnerationem, furta, sacrilegia, adulteria, conuicia, quibus pios incessunt, & alia grauissima scelera: caueant, inquam, ne iudex ille iustus & præpotens, in cuius manus horrendum est incidere, meritas talium admissorum pœnas ab eis expetat, & hîc vel

Locus Taciti de Sodoma.

Christiana monitio & obiurgatio.

apud inferos tarditatem supplicij grauitate compenset.

De furtis. CAP. XVIII.

Cum memoria diligenter repeto, quoad longissimè mens mea respicere potest, & animo intentius contemplor, priscorum de furtis leges aut scripto traditas, aut sine scripto receptas & obseruatas, miram videre videor in re natura turpi & illicita humanarum opinionum varietatem. Etenim iustæ illarum legum perpaucæ, plures iniustæ ob nimiam lenitatem vel acerbitatem fuisse videntur. Quod vt planum fiat, eas sigillatim commemorabimus. Lege Mosis Exodi 22. Qui furatus boues vel oues vendidisset, vel occidisset, quinque boues pro vno restituebat, & quatuor oues pro vna. Quod si rem surreptam habuisset, duplum reddere cogebatur. Sed dein furti pœna vsque ad septuplum apud Hebræos adaucta fuit, vt ex Solomone perspici licet, Prouerb. 6. Non grandis, inquit, est pœna cum quis furatus fuerit (respectu scilicet adulterij) furatur enim vt esurientem impleat animam: deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substantiam domus suæ tradet, & liberabit se. Cum autem propriæ facultates non suppetebant, furti damnatus distrahebatur, vt Exo. 22. dicitur. Lex decemuiralis, quemadmodum Cicero pro Milone scribit, & Gellius lib. 11. cap. 18. furem manifestum occidere permisit, si noctu deprehenderetur, aut interdiu si telo se defenderet. Aliter liberos cædi voluit, adiiciq; ei, cui furtum factum esset: seruos verò è saxo præcipitari. Sed hoc iure vti posteà desitum fuit, & pœna quadrupli in fures manifestos constituta, dupli verò in fures non manifestos. Quanquam dici potest, quod de pœna dupli in fures non manifestos Gellius scripsit, ad decemuiros esse referendum, quòd illorum de pœna furti manifesti loquens eodem in capite prius meminerit: & rerum ac verborum series id exposcere videantur. Sicq; illud Catonis est accipiendum in præfat. libri de re rustica, maiores nostri sic habuere, & ita in legibus posuere, furem dupli condemnari; fœneratorem quadrupli. Cæterum qui Romanam postea moderati sunt Rempublicam, vt nihil

Lex Mosis de furtis.

Pœna furti apud Hebræos usque ad septuplum aucta.

Lex XII. tab. fures manifestos occidere permisit.

Grauior fœnerationis, quàm furti pœna.

acerbius aut remiſſius in his cauſis ſtatuerent iudices, quàm depoſceret ratio: pro quantitate, qualitate, & modo delicti pœnas luere fures voluerunt. Non reperio tamen legibus Romanorum furibus, qui nec noctu deprehenderentur, nec interdiu telo ſe defenderent, pœnam mortis irrogatam fuiſſe: etiam ſi propter quantitatem, qualitatem, iterationémve furti atrocius delictum videretur, niſi forte publicam pecuniam, vel rem ſacram, vel religioſam furati fuiſſent: aut iudices tempore adminiſtrationis publicas pecunias ſubtraxiſſent, aut furto publicam pacem violaſſent. Voluit nanque Fridericus, eum, qui quinque ſolidos furatur, reſte ſuſpendi: eum verò qui minus, ſcopis caſtigari. Quæ ſanctio temporaria fuiſſe videtur: cùm fures omnes pacem publicam turbent, ſed non pari ratione: æquum tamen non ſit, omnes, qui quinque ſolidos furantut, reſte ſuſpendi. Itaque non omnes ea ſanctione tenentur, ſed illi demum quibus innotuit. Quin edita illa ſanctio fuit, ob coërcendam improbitatem & peruicaciam quorundam Germanorum, qui fures inſignes tunc temporis erant: ſicut & priſcis temporibus fuiſſe, Pomponius Mela lib. 3. de ſitu orbis teſtatur. Ideo cùm ius ſingulare contineat, produci temere ad caſus diſſimiles non debet. Quocirca, quod à Caliſtrato reſponſum eſt, famoſos latrones in his locis, vbi graſſati ſunt, furcæ affigendos: perperam ad fures trahitur. Latrones enim graſſatores ſunt, & viarum obſeſſores, qui multum à furibus differunt. Vnde Iuſtinianus nouella 134. Pro furto, inquit, nolumus vt vllum membrum amputetur, aut mors irrogetur, ſed alia ratione caſtigatio procedat. Fures verò appellamus eos, qui clàm & ſine armis talia delinquunt. Eos autem qui violenter graſſantur, vel cum armis, vel ſine armis, ſiue in iudicio, ſiue in via, ſiue in mari, legibus comprehenſas ſuſtinere pœnas iubemus. Sic autem Valentinianus peroſus eſt latrones, vt quenquam pro illis patrocinari vetuerit, tit. de defenſorib. ciuitatum. C. Huc pertinet illud Senecæ lib. 1. epiſt. Sed latrocinium fecit aliquis, quid ergo meruit? vt ſuſpendatur. id eſt, vt cruci affigatur. Primus enim Conſtantinus ſupplicium crucis ſuſtulit, furcæ pœna in eius locum ſuffecta: edixitq; vt nummiſmatis ſignum crucis imprimeretur. Itaque coniectura ducimur ad

Legibus Romanorum pœna mortis furibus non irrogatur, exceptis aliquot caſibus.

Enucleatus §. ult. de pace ten.

Germani fures inſignes.

Declarata l. capitaliũ. §. famoſos. D. de pœn.

Latrones multũ à furibus differunt.

Iuſtin. noluit pro furto mortis pœnam irrogari.

Valentinianus uetuit quenquã pro furibus patrocinari.

Conſtantinus ſupplicium crucis ſuſtulit, iuſſitq; nũmis crucem imprimi.

Callistratus pro cruce, furcam appouit.

suspicandum in loco Callistrati iam citato pro cruce Tribonianum adscripsisse furcam, vt scenæ, quod dicitur, & tempori seruiret. His autem, quæ superius dicta sunt, suffragatur Lampridius in Alex. Cùm quidam, inquit, ex honoratis vitæ sordidæ, & aliquando furtorum reus, per ambitionem nimiam ad militiam adspirasset, idcirco quòd per reges amicos ambierat, admissus statim in furto præsentibus patronis detectus est, iussusq; à regibus audiri, damnatus est re probata. Et cùm quæreretur à regibus quid apud eos paterentur fures, illi responderunt: Crucem. Ad eorum responsum in crucem sublatus est. Ita & patronis auctoribus damnatus ambitor est: & Alexandri, quam præcipuè tuebatur, seruata est clementia.

Alex. magistratus fures summo odio prosequebatur.

Fures hostes et inimici Reipublicæ.

Alex. edictum.

Hic porrò Alexãder, eodem Lampridio auctore, seuerissimus iudex contra fures fuit, appellans eosdem quotidianorum scelerum reos, & damnatos acerrimè, ac solos hostes inimicosq; Reipubl. vocans. Quod si vnquam furem iudicem vidisset, paratum digitum habebat, vt illi oculum erueret. Tantum odium eum tenebat eorum, de quibus apud se probatum esset, quòd fures fuissent. Edixit itaque per præconem, vt nullus iudicum aut magistratuum principem salutaret, qui se furem esse nosset: ne aliquando detectus capitis pœnã subiret. Erat præterea hæc illius sententia, solos fures de paupertate queri, dum volunt scelera vitæ suæ tegere. Idem addebat sentẽtiam de furibus notam: ὁ πολλὰ κλέψας ὀλίγα δοὺς ἐκφεύξεται. Qui multa rapuerit, pauca dederit, effugiet. Aurea mehercule sententia, quam vsurpatam aliquando vidimus, cùm aliqui locupletes circuncisæ, vel adulteratæ monetæ, vel illicitæ indictionis, aliorumve insignium furtorum rei postulabantur.

Alexandri de furibus apophthegma.

Draconis in puniendis furibus seueritas.

Quocirca Draco Atheniensis ille legislator acerbus supra modum in coërcendis furibus fuit: nam cuiuscunque generis fures essent, summum eis supplicium irrogabat, vt Gellius ait lib. 11. cap. 18. Itaque licet olera aliasve perexiguas res surripuissent, morte nihilo secius admissum vindicabat, quemadmodum Plutarchus in eius vita prodidit. Et quia nimium acerba hæc lex erat, tacito Atheniensium consensu antiquata fuit: & postea Solon vnus ex septem sapientibus Græciæ legibus suis non mortis pœna, sed dupli præstatione furtum vindicandum censuit. Sicq; agnoscimus nimiam Draconis in

Draconis lex tacito populi consensu obliterata fuit.

Legum Draconis & Solonis differentia.

in furtis vindicandis seueritatem, & Solonis nimiam lenitatem: quòd nullo habito furtorum delectu hic dupli pœnam, ille mortis generaliter furibus irrogarit. Notaui aliquando de furtis & varia illorum coërcitione locum Eusebij relatu dignissimum lib. 6. de præpar. Euangel. cap. 8. In atriis, inquit, qui aliquid vel minimum furatus est, lapidibus obruitur. In bracteis qui pauca furatur, sputis dedecoratur. Romanorum legibus verberibus ceditur. Ab Euphrate fluuio vsq; ad Orientalem oceanum, cui cædes vel furtum obiicitur, non magno mœrore torquetur. Et sanè apud multas gentes populos've magna huius sceleris impunitas fuit: quæ tamen aliquo exercitationis aut solertiæ velamento plerunque tegebatur. Itaq; apud Lacedæmonios, vt Xenophon in lib. de eorum Repub. Plutarchus in Apophthegm. & Heraclides in Polit. scribunt, iuuenes impunè furabantur, & negligentioribus rerum dominis insidias tendebant: tum vt hac exercitatione laboribus bellicis assuescerent: tum vt rerum domini in rebus suis asseruandis cauti prouidiq; essent. Veruntamen in furto deprehensi vapulabant, & inediam pati cogebantur. Ideo quidam iuuenis, vt Plutarchus refert, cum surreptam vulpeculam interiore indusio occultasset, prius ab ea se clam discerpi, & demum interfici passus est, quàm furtum ostenderet. Heraclides ait Lycios rapinis & latrociniis victum sibi quæsiisse. & Plutarchus in Problemat. Samios Mercurio Charitidæ rem diuinam facientes volentibus & furari & latrocinari permisisse. Quis autem leges non mirabitur Ægyptiorum, quibus furta omnia licita & impunita erant? Ne tamen omnino probari viderentur, statutum erat, vt qui res alienas contrectare vellent, nomen suum apud principem sacerdotum profiterentur, & rem postea furto subtractam deferrent: contrà domini diem & horam describerent, qua res surrepta fuisset: vt si fortè id sciuissent, res restitueretur. Locri, vt inquit Heraclides, in furto deprehensos oculis priuabant. quod & hodie Scenani, qui in Africa sub Preteianne degunt, suis legibus præscriptum habent. Illi enim, vt Iouius scribit, furibus oculos eruunt, traduntq; luminibus miserè captos publico mancipio, qui eos cithara & cantu cibum quærentes per omnes regiones & remota regna ea lege perducat, vt alterum

Eusebij locus de varia furum coërcitione.

Quædā gentes furtis uelamentum solertiæ & exercitationis prætexuerunt.

Apud Lacedæmonios iuuenes impunè furātur

Aegyptijs furta omnia licita & impunita.

Locri fures excæcabant.

diem vno in loco permanere vtrique capitale sit. Iam ergo cernimus quàm variæ sint, dicam & dissidentes, gentium ac populorum de furtis leges: adeò, vt quidam ea licita & impunita esse velint, alij morte vindicanda. Sed propterea ius naturæ nõ mutatur, quod semper idem vbiq; valet, & omnium animis insculptum est atque comprehensum. Quæ est enim tam rudis & barbara natio, cui perspectum non sit, iniquum esse segnem & inertis vitæ hominem laboriosi & vigilacis bona vsurpare? Item has Dei voces non exaudientem impunitum manere? Neminem lædas, Suum cuique tribuas, Alteri ne facias, quæ tibi fieri non vis. Certè natura satis edocti sumus bonis & bene de nobis merentibus honores, præmia, & gratiam, malis verò & nocentibus pœnas inferri oportere. Quanquam naturæ lex pœnarum modum non statuat, sed lex tantum ciuilis. Itaq; gentes, quę furta permiserunt, quòd ignorãtiam causari immutabilium naturæ præceptorum non possent, suis legibus ingenerandæ fortitudinis velamentum prætexuerunt. Sed valdè hebetes aut vesani erant, qui vitiis parari virtutẽ posse arbitrabantur. Nunc igitur depulsa istiusmodi errorum caligine, dare operam iudices debẽt, vt prima illa naturæ præcepta omnium animis insita atque innata, cuiquam transgredi impunè non liceat. Quandoquidem publicus illorum neglectus mutatio've insignem inuehit naturæ deprauationem, & Rerumpublicarum perturbationem. Ergo prudens iudex habita rerum & personarũ ratione, pro mensura peccati pœnas furibus irrogabit: ita vt exemplo sint cæteris, meliores ipsi reddantur, & quod priuatim damnum passi interest, sarciatur.

Cur furtũ improbetur.

Bonis præmia, malis uerò pœnæ sunt irrogãdæ.

Virtus uitijs nõ paratur.

Partes iudicantium.

Furibus cur pœnæ irrogentur.

Qui libri Ciceronis interciderint, & quædam eiusdem auctoris de Consolatione, seu de Luctu minuendo, fragmenta. CAP. XIX.

MAgnum profectò fuit M. Ciceronis ingenium, magna industria, & in optimarum artium studiis assiduitas atque diligentia. Is enim non solum dum otio fruebatur, sed etiam dum honoribus, dum causis agendis, dum Reipublicæ cura multisq;

Ciceronis ingenium atq; diligentia.

tisq; officiis implicatus & cōstrictus tenebatur, tot orationes, tot etiam libros immortalitate longè dignissimos conscripsit, vt meritò de se in Oratore dicat: Nemo orator tam multa ne in Græco quidem otio scripsit, quàm multa sunt nostra. Et in primo Academ. quæst. Qui autem alia malunt scribi à nobis, æqui esse debent: quòd & scripta nostra multa sunt, vt plura nemini ex nostris: & scribentur fortasse plura, si vita suppetet. Vt autem missos faciamus Marci Ciceronis libros, qui vulgò circunferuntur, & in manibus sunt omnium, alios permultos conscripsit, qui incuria librariorum, aut temporum iniuria iamdiu interciderunt: vt tam insignem talium librorū iacturam pro eo ac par est, omnes recti sermonis amantes & elegantioris doctrinæ studiosi molestè ferre debeant: atque eniti, vt aliqua ex parte tandem aliquando sarciatur. Scripsit Cicero pręter libros qui extant, librum de iure ciuili in artem redigendo, quem Gellius citat lib. 1. cap. 22. scripsit de Orthographia librum, cuius lib. 6. Priscianus meminit. Scripsit sex de Republica libros, cum gubernacula Reipublicæ tenebat, vt ipse lib. 2. de Diuinat. ait: eorumq; testimonio aliis in libris sæpissimè vtitur. Composuit poëma de rebus à Mario municipe suo gestis. Ideoq; Marium poëma nūcupat lib. 1. de Legib. & lib. 1. de Diuin. Composuit Aratum versibus hexametris. Item poëma Pontium, Glaucum nuncupatum, vt ait Plutarchus: ac iuuenis Xenophontis œconomicum vertit, necnon Platonis Protagoram, vt ipse lib. 1. Offic. testatur, & Nonius ac Priscianus notant. Idem duas Æschinis & Demosthenis nobilissimas orationes, pro Ctesiphonte scilicet, & contra Ctesiphontem, è Græco conuertit, vt in lib. de optim. genere orator. refert. Edidit Prognostica, item Portiæ laudationes, & de Gloria libros duos, quemadmodum ipse testis est lib. 2. & lib. 13. Epist. ad Attic. & de Offic. lib. 2. Edidit post mortem Tulliæ, de Consolat. seu de luctu minuendo librum, de quo lib. 12. Epist. ad Attic. lib. 4. Quæst. Tuscul. & Augustinus de ciuit. Dei, lib. 19. cap. 4. & lib. 22. cap. 20. Catonis Vticensis laudes quodam libro cōplexus est, in quem Cæsar Anticatones fecit. Cohortatus est omnes vehementer ad philosophiæ studium Hortensio dialogo, sicut de Diuinat. lib. 2. ait, item in Epist. ad Attic. & in Quæst. Tusc. ac de eo

Nemo tam multa scripsit, quā Cicero.

Libri Ciceronis deperditi.

loquitur Augustinus lib. 3. de ciuit. Dei, cap. 15. Edidit porrò de virtutibus librum, cuius meminit Charisius. fecit & ἔπος ad Cæsarem, necnon de tēporibus lib. tres, & Academicarum quæst. quatuor, ex quibus duo tantū supersunt, sicut ex quinque libris de legibus tres. Nanq; Macrobius hunc locum Ciceronis ex lib. 5. de leg. profert: Vis'ne igitur quoniam sol paululum à meridie iam deuexus videtur, neque dum satis ab his nouellis arboribus omnis hic locus opacatur, descendamus ad Lirim, eaq;, quæ restant, in illis alnorum vmbraculis persequamur? Omitto permultos, qui desiderantur, Epistolarum Ciceronis libros, omitto & deperditas illius orationes. Nam omnia singulatim recensere otij esset & negotij maioris. Erunt igitur optimè de re literaria meriti, qui tam insignes eloquentiæ parentis libros ab interitu vindicabunt: flagris autem & omni ignominia dignissimi, qui cum magno, vt fertur, Reipublicæ bono eos edere vel integros, vel mutilos possint, ita tamen abscondunt, vt nunquam appareant. Cùm tamen suppressi nec illis nec aliis quicquam interim prosint. Ego itaq;, vt pro virili parte conatus eorum adiuuem, qui sese literarum studiis dediderunt, & desiderio operum Ciceronis tenentur, quæ obseruaui apud Lactantium, Augustinum, & ipsum Ciceronem lib. de Consolatione fragmenta interim dum maiora molior, in medium proferre non grauabor.

Fragmenta lib. Ciceronis de Consolatione, seu de luctu minuendo.

Marcus Tullius in sua Consolatione pugnasse semper contra fortunam loquitur, eamq; à se esse superatam, cùm fortiter inimicorum impetus retudisset, ne tum quidem se ab ea fractum, cùm domo pulsus patria caruit, tum autem cùm amiserit charissimam filiam, victum se à fortuna turpiter confitetur. Cedo, inquit, en manum tollo. Lactantius lib. 3. cap. 28.

Cùm verò & mares, & fœminas complures ex hominibus in Deorum numerum esse videamus, & eorum in vrbibus atque agris augustissima delubra veneremur: assentiamur eorū sapientiæ, quorum ingenijs & inuentis omnem vitam legibus excultam, constitutamq; habemus. Quòd si vllum vnquam animal

animal consecrandum fuit, illud profectò fuit. Si Cadmi aut Amphionis progenies, aut Tyndari in cælum tollenda fama fuit: huic idem honos certè dicandus est. Quod quidem faciam: teq; omnium optimam, doctissimamq;, approbantibus Dijs immortalibus ipsis in eorum cœtu locatam, ad opinionē omnium mortalium consecrabo. Lact.lib.1.cap.15.

Non nasci longè optimum, nec in hos scopulos incidere vitæ: Proximum autem, si natus sis, quamprimum mori, tanquam ex incendio effugere violentiam fortunæ. Lact. lib. 3.cap.19.

Nec enim omnibus ijdem illi sapientes arbitrati sunt eundem cursum in cælum patere: nam vitijs & sceleribus contaminatos deprimi in tenebras, atque in cœno iacere docuerūt: castos autem animos, puros, integros, incorruptos, bonis etiā studijs, atque artibus expolitos, leni quodam, & facili lapsu ad Deos, id est, ad naturam sui similem peruolare. Lactantius lib.3.cap.19.

Animorum nulla in terris origo inueniri potest: nihil est enim in animis mixtum, atque concretum, aut quod ex terra natum, atque fictum esse videatur: nihil've aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum: his enim in naturis nihil inest, quod vim memorię, mentis, cogitationis habeat, quod & pręterita teneat, & futura prouideat, & complecti possit præsentia: quæ sola diuina sunt. nec inuenietur vnquam, vnde ad hominem venire possint, nisi à Deo. Singularis est igitur quædam natura, atque vis animi, seiuncta ab his vsitatis, notisq; naturis. Itaque, quicquid est illud quod sentit, quod sapit, quod vult, quod viget, cæleste & diuinum est, ob eamq; rem æternum sit necesse est. nec verò Deus ipse, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam & libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens, & mouens, ipsaq; prædita motu sempiterno. Ex Cicerone lib. 1. Tusc. Lact.lib.1.cap.5. August. de Ciuit. Dei, lib.22.cap.20.

De Cometa, qui anno 1556. *multos dies emicuit, & rebus posteà insecutis.* CAP. XX.

ANno salutis humanæ quinquagesimosexto supra sesquimillesimum horrendus Cometes dies triginta, & eo amplius, per vniuersam Europam visus est: quem eleganter quidam vir doctus, & amicus noster ad hunc modum descripsit,

Nox erat, & toto radiabant lumina cælo,
Cùm superexoriens stella flagrante Cometes
Crinibus expansis, radio nutante per auras
Aetherea flamma formas imitante Deorum,
Terruit attonitum multis angoribus orbem.
Hunc primùm in latere Arcturi, Tropicoq; vagantem
Vidimus in vacuum lumen diffundere, donec
Proderet in cubito celeri statione Bootem.
Inde per æquantis tendens discrimina Libræ,
Virginis impleuit spatium, per Plaustra, per Anguem,
Auerso remeans cursu dum staret in Arcto.
A qua digrediens paulatim in vertice mundum
Attigit, obliquo findens animalia centro.
Incertum per iter declinans syderis vllum
Non stetit ad motum, nec primi mobilis axi
Incubuit, sed tanquam stella creata recenter
Seruauit proprium per singula sydera cursum,
Effugiens Veneris, Martisq; diametra signa,
Saturniq; minas, auersaq; lumina Solis,
Stilbontisq; manus pugnantes robore & astu.
Hunc tu Stelligeri seu credas numen Olympi,
Seu illustratas ardente vapore figuras,
Siue Dei signum, meteora've fusilis ignis
Quattuor è multis portendere fata putamus.
Primùm causidici moderamina digna theatri:
Ne cadat à iusta totiens plebecula causa,
Quæ diu sustinuit pro summo iure rigorem:
His modò succedet diuæ instauratio gentis
Per sacros canones, decreta, piacula, ritus
Inuasura pares sectas: tentabitur armis
Quod nulli potuere ignes, nec sanguinis horror,
Nec tormenta graui plectentia corpora morte.
Principis interitus sortem complebit amaram:

Quodq;

Quodq; referre licet, doctrinæ nomine præstans
Vnus ab occidua morietur parte Cometæ.
Denique regnabunt venti, terramq; trementem
Sentiet Erigone crudeli saucia peste.

Hoc nondum extincto, alter Cometes matutino crepusculo emicuit: & posteà vtroque deficiente coniunctio Saturni & Martis in Ariete iuxta Solem, Venerem, & Mercurium insequuta est. Hisdem temporibus Martio mense tres Lunæ apparuerunt, totidemq; conspicui Soles, qui tandem in vnum coacti sunt: quemadmodum obtigisse dicitur Antoniano bello, & occiso Cæsare dictatore, vt Plinius docet lib. 2. histor. natural. & Eusebius in Chronic. Quæ omnia proculdubio fuerunt rerum futurarum grauissima indicia. Rectè Manilius lib. 1. Astronom.

Tres lunæ & tres Soles uisi 1556.

Prodigia cœli rerum futurarũ grauißima indicia.

Nunquam futilibus excanduit ignibus æther.

Nam, vt scitum est, nihil frustra naturam facere, ita omnium seculorum euentu compertum habemus, hæc plerunque signa magnarum calamitatum & ingentium malorum prænuncia esse. Impium tamen ac sceleratum esset, arbitrari propter stellas crinitas, vel cælo volantes faces, vel plures soles, vel aliud cæli prodigium, quicquam mali mortalibus accidere. Illa enim potius fiunt, vt Plinius lib. 2. scribit, propter incasura mala: quæ idcirco à Christianis vitari pijs actionibus & prudentia possunt, sicut & stellarum effectus priusquam eueniant, à scientibus & prudentibus auerti, vt Ptolomæus Aphor. 5. prodidit. vnde Manilius,

Ob signa cæli mala mortalib. non accidunt.

Mala quæ Cometæ portẽdũt, uitari pijs actionibus & prudẽtia possunt.

Ne mirere graueis rerumq;, hominumq; ruinas:
Sæpe domi culpa est, nescimus credere cælo.

Igitur quia signa, quæ eo tempore mortalibus in cælo apparuerunt, graues, tristes, & periculosos euentus portendere credebantur: rem multis gratam, & posteris vtilem me facturum existimaui, si formidabiles morbos, maximas calamitates, ingẽtes clades, & alia infortunia, quę non multo post mortalibus acciderunt, hoc capite describam. In Gallia nostra alijsq; multis Europæ partibus homines febribus acutis, ardentibusq; grauissimè laborarunt, & quidam prorsus absumpti sunt. Cuius rei testis sum ego locupletissimus, qui graui, continuaq; febri plus minus mense ad discrimen vitæ iactatus sum. Alij etiã

Febres acute et ardentes in Gallia.

in

in homines non leniter sæuierunt morbi, qui multis exitio fuere. Inter cæteros sæuijt funesta Reipublicæ pestis in Aquitanos, Celtas, & Belgicos: adeò vt Tholosæ circiter vigintiquatuor millia hominum eo lethali morbo perierint. Quod nobis Cometes portendisse videtur: nanque Manilius de illo sic ad Augustum scribit,

Cometes portẽdit pestem.

Tunc grauibus morbis, & lenta corpora tabe
Corripit exustis lethalis flamma medullis:
Labentesq́; rapit populos: totasq́; per vrbes
Publica succensis peraguntur fata sepulchris.
Qualis Erichthonios pestis populata colonos,
Extulit antiquas per funera pacis Athenas,
Alter in alterius labens cùm fata ruebant.
Nec locus artis erat medicæ: nec vota valebant.
Cesserat officium morbis, & funera deerant.
Talia significant lucentes sæpe Cometæ:
Funera cum facibus veniunt, terrisq́; minantur
Ardentes sine fine rogos: ni mundus, & ipsa
Aegrotet Natura nouum sortita sepulchrum.

Is autem morbus Burdigala Tolosam aduenerat. vnde falsum comperi quod Plinius notat lib. 7. cap. 50. obseruatum in meridianis partibus ad occasum Solis pestilentiam semper ire. Fuit ijsdem temporibus annonæ magna caritas ob summã rerum omnium sterilitatem, & penuriam, quæ ad victum necessariæ sunt, in Italia præsertim, atque in Hispania, & aliquot Galliæ partibus. Quod nobis gemino cometa significatum videtur: sic enim in Phænomenis Aratus interprete Tullio:

Plinij lapsus.

Cometes index futuræ famis.

At si contigerit plures ardere cometas,
Inualidus segetes terrebit siccior aër:
Nam quæ prorumpunt naturæ legibus vltrò
Spiramenta soli, si iustus defuit humor,
Arida per cælum surgentia desuper altè
Ignescunt, flammis, mundiq́; impulsa calore
Excutiunt stellas, & crebro crine rubescunt.

Idem solum Cometam prænunciare quidam hoc disticho docet:

Tu steriles campos, & inania vota coloni
Siccus, & efferuens dire cometa facis.

Illud

Illud notandum est, post annonæ caritatem pestilentiam insecutam. Id enim plerunque fieri Hesiodus lib. 1. τῶν ἔργων, καὶ ἡμερ. his verbis ostendit, λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμόν. vnde deprompta est vulgaris illa sententia, λοιμὸς μετὰ λιμόν· id est, pestis post famem. *Pestis post famem.* Itaque Iustinus de exercitu Xerxis loquens lib. 2. Multorum, inquit, dierum inopia contraxerat & pestem, tantaq; fœditas morientium fuit, vt viæ cadaueribus implerentur. Flagrauit eodem tempore tumultibus bellicis tota Europa, ac variȩ populorum editæ sunt strages. Cuius rei prȩnuncij fuerunt Cometæ.

Nam & bella canunt, ignes, subitosq; tumultus,
Et clandestinis surgentia fraudibus arma,
Ciuiles etiam motus, cognataq; bella.

vt Manilius ait. Eôdem pertinent insequentes versus Sibyllæ:

Solo sub occiduo verò vocitata Cometa,
Stella relucebit, gladij mortalibus index,
Et famis, & mortis, præclarorumq; virorum,
Atque ducum interitus magnorum, nobiliumq;.

Interim Hispani milites, magno insontis populi malo, hostilibus excursionibus & latrocinijs eam Belgicæ Galliæ partem deuastarunt, quæ sub ditione Regis Gallorum erat. *Calamitosæ Gallorũ & Hispanorum excursiones.* Contrà Galli, vt ab incœpto Hispanos auocarent, & vt illatam iniuriam vlciscerentur, in terras Regis Hispanorum similes excursiones fecerunt. Refertam certè tunc Galliam vidimus permultis miseris hominibus, qui rebus omnibus abiectis, vitandi periculi causa celeriter aufugerant, vbique sibi victum miserè & flebiliter quæritantes. Quod vix meminisse, nedum commemorare sine lacrymis, & mȩrore possum. Vidimus etenim permultos tam viros, quàm mulieres oris forma, & habitu corporis honorabiles ostiatim mendicare: qui miris modis lacerati, aut membris mutilati, aut pallore & macie confecti, aut demum squalore ita obsiti erant, vt omnes probi, & à vera pietate non abhorrentes, vicem eorum vehementer dolerent, tale infortunium, tantamq; illorum calamitatem, tantas etiam ærumnas grauiter mærerent: & Deum obnixè deprecarentur, vt pacis interuentu hisce infortunijs, & calamitatibus gentem Gallicam liberaret. Apud Britannos magnæ rixæ, contentiones, & intestina bella fuerunt, tum ob principatum, *Britannorum dißidia.*

tum ob dissidentes super religione sententias. Eodem tempore Vulpianum à Gallis captum, & dirutum fuit. Illud magno Gallorum incommodo accidit, cùm ad Diui Quintini vrbem heros Anguianus, & alij multi etiam illustres viri ab Hispanis interempti sunt, & duodecim proceres capti: inter quos Anna Momorancius equitum Magister, & Sanctandreanus militum tribunus. Non multo post Galli milites Guysiano duce, Theonuillam expugnarunt, vrbesq; Caleto finitimas. Eodem etenim anno Caletum, quod ante ducentos annos Britanni nostris eripuerant, non minus felici, quàm insperato marte in Gallorum potestatem redijt. Carolus quintus Romanorum Imperator, multis rebus pręclarè & feliciter gestis, cùm in cœnobium secessisset, anno ætatis quinquagesimoseptimo vita functus est. Id portenderant Cometæ, sicut & olim Iulij Cæsaris interitum.

Vulpianũ captũ & dirutum.

Theonuilla expugnata.

Caroli v. mors.

Non aliàs cælo ceciderunt plura sereno
Fulgura, nec diri toties arsere Cometæ.

Cæsaris interitum portenderant Cometæ.

Quin & Constantini mortem stella crinita similiter prænunciauit, vt Eutropius lib. 10. refert. Obijt porrò Maria Caroli V. soror, & Hungariæ regina, quæ cùm supra muliebris sexus naturam fortis & solers esset, tum strenuè plurima bella & gesserat, & confecerat. Obijt & Maria Britannorum regina & Philippi Hispaniæ Regis vxor, cuius mortem insecuta est religionis commutatio. Ex quo autem conspecti sunt duo illi Cometæ, quæ iamdiu irrepserant in Rempublicam Christianam hæreses, miruminmodum adauctæ sunt, & ad summam vsque impietatem progressæ. Henricus II. Rex noster Christianissimus, vt stipendia militibus persolueret, quos tunc innumeros habebat, ingentem pecuniam à subditis mutui nomine sæpe inuitus exegit, & anno proximo extraordinarium onus tricesies centum millium aureorum imposuit. Beneficiarijs decies centena millia, locupletibus totidem, plebi eandem pecuniæ quantitatem. Memini videre publicanos & apparitores, qui ob hæc extraordinaria munera, quæ mutui nomine censentur, multos probos & honestos homines valde fatigabant, quòd credere indictam quantitatem non possent. nec verò anteà tãtum nummorum vnquam à Gallis exactum fuit. Miræ fuerũt eodem anno aquarum inundationes. Cùm enim

Cõstantini mortem cometes prænunciauit.

iussu Regis quidam Tholosani senatores Nemausum se contulissent, ob Antoninum Pium celebrem, vt in quosdam impietatis reos sine prouocatione animaduerterent, tanta de repente vis aquarum ingruit, vt fluctibus multi obruerentur, cæteri horrore perterriti oppetendum putarent. Nam præter murmur ingruentis aquæ, flammæ è cælo super vrbem crebrò decidere videbantur, ac multæ domus vi aquarum pulsæ corruebant. Paucis post diebus quàm inde legati Senatores discesserunt, mira proluuies, magna vis aquarum ibidem denuò fuit. Sed prodigiosius est, & memorabilius quod sequitur. Apud Anitium Velauniorum metropolin ad 4. Id. Augusti hora noctis circiter vndecima, cælo planè sereno, atque placato, tanta, tamq; inusitata proluuies summo impetu in suburbia & vicos proximiores inuasit, vt murmurantium aquarum fremitu excitatis repentè omnibus, statim auditi sint multorum eiulatus, quos fluctus sursum deorsum, miserè & calamitosè circunferebant: infinitis virorum, mulierum, infantium etiam puerorum inter nutricum amplexus existentium fluctuantibus cadaueribus. Nec quieuit tanti furoris impetus, quoad pontibus deiectis, arboribus euulsis, & templis aliquot, domicilijsq; dirutis rerum omnium facies mirabiliter immutata cerneretur. Tanta verò vi ventorum, tamq; crudeliter res agebatur, vt plerique fide digni, oculatiq; testes religiosè nobis affirmarint, quasdam horrendas immundorum spirituum formas inter vndas apparuisse: creditumq; est vniuersam ciuitatem naufragium passuram, ni vrbs excelso loco sita fuisset. Romæ 18. Cal. Octob. Insueta obtigit alluuies, inundatioq; Tyberis magno impetu per noctem ingruentis, qui multos homines fluctibus obruit, & varia ædificia absumpsit. Fluuius, qui Florentiam alluit, eodem die alueum excedens, tanta vi per vrbem diffusus est, vt multæ conuulsæ sint domus, quædam diruta cœnobia, homines verò septuaginta submersi. Quin eadem proluuie permulti absumpti sunt agri, ingentes radicitus euulsæ arbores, & rusticæ funditus euersæ habitationes. Quod lugubre huius ætatis spectaculum nec superstites sine mœrore intuentur, nec posteri sine luctu recordabuntur.

Miræ aquarum inundationes.

Antoninus Pius Nemausensis erat.

Diluuium Nemausense.

Insueta Tyberis inundatio.

Diluuium florentinum.

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM.

Arrij

D

E

F

FINIS.